Werliin

De
laudibus
Judae
Gen. 49, 8-12,
celebratis.

DE LAUDIBUS JUDÆ

GEN. C. XLIX, V. 8—12

CELEBRATIS.

SCRIPSIT

CHRISTIANUS WERLIIN,

LIC. THEOL.

HAUNIÆ.

APUD *C. A. REITZEL*.

TYPIS EXCUDEBAT *FABRITIUS* DE *TENGNAGEL*.

MDCCCXXXVIII.

Prolegomena.

Inter omnes constat, carmen illud præstantissimum, quod *benedictio Jacobi patriarchæ* vulgo appellatur, in cap. XLIX libri Geneseos exhibitum, omnium temporum interpretibus plurimos creasse labores innumerabilesque pæne provocasse explicationes. Latet vero causa ex parte quidem in difficultatibus illis, quibus ipse stylus hujus poematis laborat, eventibusque illis historicis, qui oraculorum more obscure prædicuntur, præcipue autem in opinione ea ut putamus temere concepta, qua imbuti omnes fere Judæorum et Christianorum interpretes ab antiquissimis temporibus ad nostros usque dies hoc carmen illustrandum aggressi sunt, cum scilicet sibi persuasissent, patriarcham *Jacobum*, spiritu afflatum divino, paullo antequam exspiraret, poeticam hancce benedictionem talem omnino, qualis ad nos pervenerit, edidisse, filiisque congregatis pronunciasse, *Mosen* deinde quatuor seculis post in chartam conjectam eam *Genesi* inseruisse, unde consequitur, ut totum hocce carmen prophetia simul habendum sit proprie sic dicta atque vaticinium de sorte singularum Israelitarum tribuum disertum. Hæc vero mera est hypothesis, cujus solida argumenta nec reddiderunt, nec reddere potuerunt; tot enim et tanta ei objiciuntur incommoda, ut mirum sit, vel nostris temporibus potuisse eam a multis nude asseri. Hac igitur relicta, eorum secuti sumus castra, qui ab alio autore, serius citius post Jacobum florente, concinnatum hocce poema statuunt. Quonam vero tempore vixerit egregius ille poeta, cui illud debetur, nonnisi ex accuratissima et diligentissima argu-

menti, styli, singularum imaginum, quæ carmini huic antiquo
priæ sunt, disquisitione, simul exacta status et conditionis tr
singularum eventuumque illorum, qui hîc indigitari videntur, c
natione, definiri potest, quamobrem, quum hocce nostrum ten
exegeticum pars tantum sit copiosi in *benedictionem Jacobi*
mentarii, hîc nonnisi levi, ut ajunt, brachio ea perstringenda
quæ fusiore egent demonstratione, sed alii tempori, toto s
carmine explicato, rectius relinquenda esse videntur.

Ne vero patriarchæ venerabili poema hocce pulcherr
adimendo atque seriori cuidam vati vindicando temere egisse
amur, age, gravissimas illas, quæ vulgari interpretum opinio
stant, difficultates breviter perpendamus. Latent illæ partim i
hujus carminis forma et stylo, partim in argumento, quod ex

1) Recte *I. G. Hasse*[1]), *I. H. Heinrichs*[2]), *Eichh*
Vater[4]), *v. Bohlen*[5]) aliique observant, tale dictionis ὕψος,
in hoc poemate deprehendimus, a sene decrepito mortique
exspectandum non esse. Quis enim verborum sublimitatem e
gantiam, sententiarum ubertatem, imaginum splendorem, o
bene dispositum hîc non admirabitur? Senex vero, omnibus c
ris viribus destitutus (cfr. Gen. 48, 10. 49, 33) animamque
„licet ultima vice filios congregatos videns haud quaquam c
mandus sit oratione sterili ac jejuna protulisse ultima vota“ (
richs l. c.), ut stylum adhibuerit perpolitum et elegantem non
simile est, nec vi gaudebat physica ad tam longam orationem
tenore tantoque ordine proferendam. Crebri parallelismi, q
occurrunt, summus ille phantasiæ vigor et impetus, pulcherri
exquisitæ imagines, lusus verborum etymologici, gradationes
ticæ, audacia in transiliendo absque nexu ex hac verborum
tura in illam remotiorem, quæ omnia in hoc carmine nem
animadvertet, vatem sane ostendunt seriorem, immo tempore l
turæ Hebraicæ felicissimo florentem, qui fortiori abreptus ima
tione orationem hanc effinxerit atque limatius elaboraverit.

---

1) In Magazin für die bibl.-or. Literat. Fasc. I. p. 6 sqq. 2) *De*
atque ætate capitis Gen. XLIX comment. 3) In Allgem. B
bibl. Lit. P. III. p. 166 sqq. 4) In Commentar über den Pe
T. I. p. 314. 5) Die Genesis historisch-kritisch erläutert. 1835 p. 4

2) Quomodo porro nobis explicabunt istius hypotheseos patroni, egregium hocce poema, cujus præstantia tanta est, ut ex audacissimis, quibus splendet, imaginibus ne una quidem, illa salva, perire posset, per quatuor secula (ne de majori loquamur spatio temporis) integrum conservatum fuisse? Aut enim statuendum est, ex filiis Jacobi hunc vel illum verba patriarchæ ultima literis statim mandasse, aut per traditionem generationum integra conservata sint oracula hæcce necesse est, aut qui libros collegit Pentateuchi, quisquis fuit ille, inspiratione divina adjutus singula illa Jacobi vaticinia repetere valuisse existimandus est. Vix vero cuiquam ut ex hisce sententiis ullam probare possit continget; restat igitur, ut ad seriora tempora carmen nostrum pertinere statuamus.

3) Quot vero et quanta ipsum hujus poematis argumentum isti opinioni affert impedimenta, quæ removere nunquam poterunt illi, qui ei favent! Ceteris incommodis et difficultatibus omissis, age hic nobis fingamus, morientem patriarcham et potuisse et voluisse filiis auscultantibus longam fatorum, quæ posteros manerent, seriem revelare oculisque audientium exponere. Nonne jam verisimile est, patrem simul prophetam omnes illos eventus prædicere voluisse, qui in historia Israelitarum insignes constituerint epochas? Argumentum vero hujus vaticinii inspicientibus longe aliter sese res offert. Præter eventus minoris momenti, duo tantum graviores commemorantur: *occupatio* scilicet *terræ Palæstinæ* et *dignitas regia in Judam collata*. Quod vero ad priorem attinet eventum, jure miramur, qua ratione potuerit patriarcha moriens rem tam gravem tacite ponere, cur non prædixerit, terram patribus promissam a posteris aliquando expugnandam esse; hoc saltem exspectandum erat; aperte autem hic ad situm eorum tractuum et regionum respicitur, quæ pluribus post seculis Israelitis in terra Canaanis ab ipsis occupata sorte obtigerunt, atque fingitur populus hanc terram inter tribus singulas jam divisam tranquille possidens. Sed ipsa expugnatio, eventus gravissimi momenti, quæ nonnisi post multa et quidem atrocissima bella ac tantum ex parte ad finem perducta est, miro prætermittitur silentio, quo sane suspicio excitatur, non patriarcham, sed seriorem quendam vatem, qui de suo loco rem consideraverit, hic loqui. Quod ad *Judam* attinet,

totus est autor in potentia ejus celebranda: quas laudes cumulat, quantis insurgit præconiis! Sed licet tempore, quo ad hanc tribum per *Davidem* collata est regia potestas, splendidissima historiæ Judæorum inceperit periodus; digna utique elogiis poetæ, non intelligitur tamen, cur, si hujus carminis autor habendus sit *Jacobus*, *Josepho* et *Benjamino*, dilectissimæ *Rachelis* filiis, quos pater tenerrimo amore in sinu foverat, sceptrum regium a posteris ipsorum obtinendum non portenderit. Cetera, quæ in hac benedictione occurrunt, vaticinia nec patris nec prophetæ congruunt indoli. Quomodo enim explicandum, patrem nonnullis filiorum, ut *Rubeni*, *Simeoni*, *Levi*, *Judæ*, *Josepho* tamdiu voluisse immorari, reliquorum vero fata leviter tantummodo tetigisse? Nonne horum etiam naturam moresque perspectos habuit pater? Tribus majoribus natu filiis sinistra tantum et tristia canuntur oracula, sed historicæ veritati minus respondent. Non enim verisimile est, ipsum *Jacobum* primogenituræ jure et prærogativis *Rubenem* privasse [1]; hoc sine dubio longe seriori tempore, quum scilicet *Levitæ* privilegia sacerdotii assecuti essent, factum est; imprecatio diræque, quas in tribum *Levi* horrende effundisse fingitur pater, longe alium habuerunt exitum, ita ut eximia præ ceteris et augusta huic tribui contingeret sors. *Simeonitis*, qui cum *Levitis* conjunguntur, ut poena dispersæ etiam prædicuntur sedes; cur vero eandem sortem *Danitarum* non vaticinatus est propheta? Denique fatendum est, patriarcham, quamquam Gen. 49, 1 promisisse traditur, se velle fata posterorum prædicere, promissum minus persolvisse, quum gravissimas historiæ Israeliticæ partes, fugam ex *Ægypto*, legislationem *Sinaiticam*, res gestas *Mosis*, *Josuæ*, *Samuelis*, *exstructionem templi*, *divisionem reipublicæ*, *exsilium Babylonicum* miro præterierit silentio. Sane, si etiamnum carmen hocce attribuendum sit *Jacobo*, negari vix potest, male eum perfunctum esse munere prophetæ.

4) Huc accedit, quod benedictio nostra, quæ, si vere habuisset *Jacobum* autorem, maximæ fuisset autoritatis, Israelitis et ante et post fugam ex Ægypto incognita omnino fuisse videtur. Quis enim nobis satis explicabit, Judæos, tristissima in Ægypto

---

[1]) Cfr. Friedrich in lib. cit. p. 112 sqq.

servitute vix elapsos, si tranquillam Canaanis possessionem a patriarcha sanctissimo sibi prædictam esse scivissent, sæpius ut in pristina reducerentur vincula postulasse? Neque ipse *Möses*, populo rebelli obluctans, unquam ad vaticinium *Jacobi* provocavit, quo certe dictis suis magnam conciliasset autoritatem.

5) Quomodo denique factum est, ut carmen illud, quod Deutr. 33 *Mosi* adscriptum exstat, nostro quoad formam simillimum, plura contraria et adversa illisque, quæ hîc canuntur, opposita contineat? Nonne utrumque carmen vaticinia et oracula exhibere putatur? Quo pacto vero simul hæc simul illa sibi invicem repugnantia impleta invenies?

Hæc ferme aliaque, quæ opinioni a nobis repudiatæ obstant, impedimenta, frustra conati sunt interpretes declinare. Objectiones quidem gravissimas plerique removere dubiaque sopire student, provocando ad revelationem divinam inspirationemque supernaturalem, qua dignatum fuisse volunt morientem patriarcham, jubentque decreta spiritus sancti, quæ in carmine nostro exstare sibi persuadent, nullo dubitationi loco relicto, qua par est reverentia et fide colere. Sic vero nodi non dissolvuntur, sed dissecantur. Nobis videntur interpretes ita ratiocinando arbitrarie omnino egisse, vana scilicet hypothesi nisi, notione simul vaticinii sive prophetiæ non recte percepta. Primum enim, ut verbis utar *Heinrichsii*[1]), „Jacobum — nunquam memini honorificentissimo *prophetæ* titulo diserte insigniri aut in pari haberi autoritate, ac Jesaiam etc., Jacobum, inquam, non possum equidem, quo veros prophetas veneror, honore afficere eo, ut quæ sub ejus nomine feruntur oracula, tentare ea, et, si recentiora vestigia prodere videntur, ea retegere, atque de eis opinionem ingenue profiteri religioni habendum existimem." Deinde, licet non negemus, moribundos, ultimis animi viribus collectis, futura interdum posse præsagire[2]), tales tamen divinationes modo sunt generalioris argumenti, incertæ, obscuræ; nemo vero mortalium, ne summa quidem præditus sagacitate, singulos singulorum hominum vel populorum eventus fataque futura perspicue

---

[1]) Lib. cit. p. 33—34. [2]) De opinione hac et inter *Græcos Romanosque* obtinente cfr. v. Bohlen l. c. p. 441.

prævidere et diserte prædicere potest. Ubi igitur certa facta, singuli eventus historici distincte et clare indigitantur, ibi vaticinium et prophetia proprie sic dicta non admittenda est[1]; ibi de seriori quodam poeta, qui antiquiorem aliquem vatem res sua ætate jam gestas ut futuras divinantem induxerit, necessario oritur persuasio. Cujus moris frequentia exempla apud poetas *Græcorum*, *Romanorum*, *Jndorum* etc. occurrunt. — Jam vero si ex supra disputatis manifestum esse videtur, carmen, de quo hîc agimus, ad prisca illa et inculta patriarchæ Jacobi tempora nullo modo referri posse, simul ex ipso argumento ejus, ex illis, quæ prædicta hîc canuntur, recta patebit via, qua omnibus, quantum fieri potest, difficultatibus superatis, ad quæstionem de tempore, quo conscriptum sit hocce poema, et de autore ejus facile solvendam perveniemus.

Ex illis, quæ huc pertinent, sed accuratiori remittenda sunt disquisitioni, breviter hæc observamus:

1) Loquitur poeta noster de civitate Israelitica jam instituta, de 12 tribubus, quæ totum efficiebant populum (cfr. v. 7, 16, 24, 28); fingitur terra sancta ab Israelitis occupata jam et inter singulas tribus divisa, populis gentilibus subjugatis, alta pace ubique regnante, cfr. 8—12 sqq. Sermo igitur est de tempore post *Mosen*, post expugnationem *Canaanis*.

2) Præ ceteris tribus *Judæ et Josephi* laudibus ornantur eximiis; prior vero regiam habet dignitatem, quam sperante autore nunquam amittet, cfr. v. 10. Canuntur igitur tempora post *Saulem*, quo mortuo regia autoritas ad tribum *Judæ* transiit.

3) De *Levitis* tantum mala dicuntur *templumque Salomonis* ne verbo quidem commemoratur. Nondum igitur splendida sacerdotii jura obtinuerant *Levitæ*, neque templum exstructum erat, quos eventus memorabiles, si cognovisset, non omisisset poeta.

Sic exiguo temporis intervallo, quod scilicet interest inter dominium in omnes tribus *Davidi* comparatum et regnum *Salomonis* inceptum circumscribimur. Quomodo vero accuratius illud efficiatur tempus, quo sene *Davide Salomon* in partem regni pervenerit, in commentario nostro ostendimus. Hac igitur ætate floruit

---

[1]) Cfr. v. Bohlen l. c. in prolegom. p. CXXXII.

poeta. Quinam autem fuerit ille, num *Davides* ipse, an *Nathan* propheta, ut volunt *Friedrich* et v. *Bohlen*, an alius, cujus nomen injuria temporis perierit, in medio relinquendum esse putamus.

Totius vero carminis hujus quum vss. 8—12, qui de *Juda*, quarto filio Jacobi, agunt, difficillimam gravissimamque efficiant partem, innumeris modis ab interpretibus vexatam, e spissis vero, quibus obvoluta fuit, opinionum præconceptarum tenebris vix satis protractam, hanc in præsentiarum prius accurate tractandam nobis elegimus, qua exacte illustrata toti carmini lux affundetur rectusque patebit locus, unde illud considerari debeat. Quamobrem in exegetico hoc specimine nostro id primum spectavimus, ut, omnibus, quæ interpreti præsto sunt, subsidiis diligentissime adhibitis, singulorum verborum significatione explorata, nexu et contextu perspicue explanatis, rebus, quæ hoc loco innuuntur, historicis indicatis et expositis, vera poetæ sententia et consilium, quod in carmine hoc contexendo secutus fuerit, pateret, quo facto ceteras illas, quibus obrutus fuit hic locus et ex parte obscuratus, interpretationes enixe allatas pro viribus refutavimus, denique antiquissimam illam τοῦ שִׁילֹה et totius 10mi versus de *Messia* explicationem singulari examini subjectam refellere conati sumus.

Quibus præmissis, rem ipsam aggrediamur

De Laudibus Judæ

Gen. c. XLIX, v. 8-12

C e l e b r a t i s.

I.

O Juda! te celebrabunt fratres tui! 8
Manus tua (erit) in cervice hostium tuorum,
Prosternent se coram te filii patris tui!

Jam primis benedictionis verbis, qua Judam prosecutus fingitur Jacobus Patriarcha, primogeniturae principaliorem gravissimamque partem, in principatu ac dominatione sitam, tribus filiis natu majoribus ereptam, in tribum Judæ conferendam esse indicat auctor. Jisdem fere formulis Isaacus Gen. 27, 29 jus et prærogativas primogenituræ Jacobo filio adsignat. Nostro autem loco majus et excellentius quid canit vates: Juda non solum caput futurum familiæ, ποιμην λαων, princeps fratrum, declaratur, verum etiam dignus sistitur, qui thronum regium aliquando occupet sceptrumque dominii in exteras nationes extendat. Hoc est argumentum vaticinationis de Juda, ad hoc exornandum pertinent singulæ imagines et loquendi formulæ. Versus 8vus regiam dignitatem generalius adumbrat et quod sibi proposuit auctor thema tractandum designat.

יְהוּדָה אַתָּה יוֹדוּךָ אַחֶיךָ Excepto Arabe in Polygl. qui habet وأنت يا يهوذا ينشدك اخوتك et tu, o Juda etc., omnes veteres interpretes אַתָּה ut superfluum omittunt. Recentiores autem ex parte vim ejus in sua quisque lingua accurate exprimere student; v. gr. Lutherus: „Juda, du bist es"; Dani veteres: „Juda, du er den Rette"; J. Clericus[1]), Jac. Robertson[2]), al.: „Juda, tu es". Orationem ellipticam admisisse videntur, diverso modo supplendam; Venema[3]) aliique contendunt אתה directe ad primogeniturae jus, quod in Judam præ fratibus natu majoribus conferatur, esse trahendum, subintellecta voce בכור primogeniti ex v. 3 repetenda: „Juda! tu sc. es erisque non nomine, sed re primogenitus". Qui totam benedictionem Judæ mystice de Messia explicant, hunc sensum pronomini אתה tribuunt: „Juda, tu ille es, ex cujus stirpe aliquando oriundus est princeps ille salutis, quem posteri tui exspectabunt". Sed hæc loquendi ratio, qua nomen ab initio separatim ponitur et sequens suffixum sive pronomen redundat, longe usitatissima est Hebræis, Arabibus, immo in recentioribus Europæ linguis occurrit haud infrequens et perquam elegans atque emphatica censenda, cfr. Deutr. 18, 14. 1 Reg. 21, 7. Es. 25, 1. Jer. 46, 28. Hos. 8, 6. Ps. 9, 7, etc.[4]). Sensus igitur hl. est: „quod attinet ad te, Juda!" quod etiam in nonnullis recen-

---

1) Genesis s. Mosis liber Imus ex transl. J. Clerici cum paraphr. perpet. comment. philolog. etc. Tübing. 1733 fol. 2) Clavis pentateuchi etc. Edingburg 1770. 3) Disputationes selectæ ad sacr. script. V. & N. T. Tom. I. Pars. II. Leowardiæ 1750. 4to. 4) Gesen. Lehrgebäude p. 727. Cfr. A. Schultens. ad hl. Oper. minor. p. 129—130.

tiorum versionibus, quamquam nimis languidum, exprimitur, ex. gr. **Belgæ**: „Juda! was dich belanget"; in opere biblico ex **Anglis** collecto: „Juda, was dich anbetrifft"; **Theologi Genev.**: „Juda, quant a toi". Optime vero nostro loco hæc locutio emphatica transitum indicat ad lætiora et præclarissima auguria, quibus Juda, tristissimis illis v. 3—7 jam finitis, celebrandus est, quæ, ut recte observat **Aurivillius**[1]), in sermonem moribundi parentis, vehementiore animi motu incitati, egregie cadere videntur. **J. G. Herder**[2]), **v. Bohlen**[3]) aliique hoc sensu vertunt: „Juda, du!" Putat ceteroquin **Venema**, minime fortuito 2da persona in **Rubene**, **Juda**, **Josepho** commemorandis, sed **tertia** in cæteris filiis usum esse auctorem, vultque hancce loquendi rationem a primogenitura esse repetendam; **Jacobum** scilicet **Rubenem** utpote jure ætatis primogenitum adloquio honorasse, mox autem, quum **Simonem** et **Levi** hac prærogativa non gavisuros dixisset, ad **Judam** se vertisse et eum tanquam primogenitum jam factum salutasse; reliquorum fata deinde in **tertia** pers. prædixisse, donec ad **Josephum**, parte quoque primogenituræ beandum, quem rursus adloquatur, pervenerit. Quæ sententia subtilior auctori relinquenda est. — יוֹדוּךָ „te celebrabunt, laudabunt (ut Vulg.) fratres tui". **LXX**: *σὲ αἰνέσαισαν οἱ ἀδελφοί σȣ*. **Syr.**: ܠܟ ܢܘܕܘܢ ܐܚܝܟ. **Onkelos** pro more suo fusius exponit: יהודה את אודיתא ולא־בהתתא בך

---

1) Dissertatt. ad sacr. litt. et philolog. Orient. pertinent. ed. J. D. Michaelis Gœtt. 1790 p. 230. 2) Vom Geist der ebr. Poesie 2 Theil ed. J. G. Müller. Tübingen 1805 p. 185. Cfr. Briefe das Studium der Theol. betreff. 1 Theil p. 61. 3) Die Genesis, historisch-kritisch erläutert. Königsb. 1835 p. 458.

יודון אחך „Juda, laudabo te, et non es confusus, te laudabunt fratres tui", cfr. Hieroselymit. interpret. יהודה לך יודון כל אחך ועל שמך יתקרון כל יהודאי. „Juda, te laudabunt omnes fratres tui; de nomine tuo vocabuntur omnes Judæi". Jonathan, respectu habito ad Gen. 38, 26, vertit: יהודה אנת אודית על עובדא דתמר „Juda, tu confessus es in facto Thamaris „additque: בגין כן לך יהודון אחך ויתקרון יהודאין על שמך" propterea te laudabunt fratres tui et vocabuntur Judæi de nomine tuo". הודה sæpissime in codice Hebræo de Deo laudando, celebrando ob beneficia, sq. acc.: Gen. 29, 35. Ps. 7, 18. 30, 13; sq. ל pers.: cfr. Ps. 75, 2. 1 Chr. 29, 13. Esr. 3, 11; hl. de honore regio, de illa veneratione et reverentia, qua subditi regem Dei instar prosequuntur ɔ: „te regem suum colent fratres tui eorumque posteri". Herder[1]), qui, ut G. A. Teller[2]), hæc verba explicat de primo loco, quem in itinere per desertum habitura esset tribus Judæ (cfr. quæ de hac sententia infra notata sunt), vertit: „dich werden deine Brüder (als Führer) preisen". Hensler[3]) vero, qui arbitrarie, quæ hl. de Juda dicuntur, ad fata familiæ Jacobi, in terra adhuc Gosen versantis, refert, hunc versum reddit: „dein, Juda! wartet deiner Brüder Dank, denn dein Faust" etc. Sed neque istæ hypotheses solidis argumentis probari possunt, neque versiones, quæ illis nituntur, cum splendidis, quibus honorat hl. auctor Judam, promissionibus

---

1) Vom Geist der ebr. Poes. 2 Th. p. 185. 2) Notæ critt. et exegett. in Gen. 49. Ex. 15. Deutr. 33. Jud. 5. Hal. & Helmst. 1766 et Uebersetzung des Segens Jacobs und Mosis. etc. Hal. & Helmst. 1766. 3) Bemerkungen über Stellen in den Psalmen und in der Genesis. Hamb. & Kiel 1791.

convenire videntur. Ceterum pulcherrima illa in יְהוּדָה et יוֹדוּךָ paronomasia in nulla versione a nobis reddi potest. יְהוּדָה nomen verbale fut. Hoph. 3 pers. sing., servato ה characteristico, laudatum, celebratum significat. Recte Rosenmüller: „ut tu Juda vocaris a laude, sic futurum est, ut te præcipue fratres collaudent, sicut fert nomen tuum". Sic in ipso nomine Judæ præstantiæ et regiæ dignitatis est augurium et omen. Alia hujus nominis origo Gen. 29, 35 exhibetur, ubi Lea, nato quarto filio, dixisse fertur: אודה את־יהוה „celebrabo Jehovam", et filio nomen dedisse יְהוּדָה ad gratum in Deum animum indicandum. Similis paronomasia adest in carmine nostro v. 19. — In duobus membris sequentibus thema suum accuratius absolvit poeta.

יָדְךָ בְּעֹרֶף אֹיְבֶיךָ „manus tua (erit) in cervice hostium tuorum" ɔ: hostes tui victi fugatique tibi terga vertent. עֹרֶף cervix hl. respondet Græcorum τῷ νώτῳ, Latinorum tergo, in locutionibus usitatissimis τὰ νῶτα δεῖξαι, „terga dare, vertere", sensu fugiendi (cfr. nostrum: vende Ryggen), cfr. formulas Hebraicas נתן ערף 2 Chron. 29, 6.: „Judæi terga tabernaculo Jehovæ verterunt", sive פנה ערף־אל, ex. gr. Jer. 2, 27. פנו אלי ערף ולא פנים „terga mihi obverterunt, non vultum" ɔ: a me, a meo cultu se averterunt. Sensu fugiendi occurrunt פנה ערף Josv. 7, 12 et הפך ערף Josv. 7, 8 = Syr. ܐܦܢܝ ܚܨܐ et Pers. پشت دادن, cfr. Ex. 23, 27 נתתי את־כל־איביך אליך ערף „dedi omnes hostes tuos tibi (quoad) tergum" ɔ: effeci ut terga tibi verterent ɔ: eos fugavi, cfr. Ps. 18, 41. Nomen עֹרֶף hl. recte LXX vertunt: αἱ χεῖρές σϐ ἐπὶ νώτϐ τῶν ἐχθρῶν σϐ, cæteri verbotenus, ut Vulg. „manus tua in cervicibus inimicorum tuorum"; Syr. ܐܝܕܟ „.... super cervicem" etc.; Arabs ܥܠ ܨܘܪܐ ܕܒܥܠܕܒܒܝܟ

in Polygl. similiter „ويدك في اقفا اعدايك . . . in cervicibus" etc. Onkelos sensum verborum recte exhibet: ידך תתקף על־בעלי דבבך יתבדרון סנאך יהון־מהדרין קדל־קדמך „manus tua prævalebit contra inimicos tuos; dispergentur hostes tui, convertentur retrorsum in conspectu tuo". Minus recte Jonathan: ידך יתפרעון לך מבעלי דבבך למפתק גירין להון כד יהדרון קדל קדמך „manus tuæ ulciscentur te ab inimicis tuis, jaculando sagittas in illos, quando convertent cervicem coram te". Hierosolymitanus modo habet: „manus tuæ ulciscentur te de inimicis tuis" (ut Jonath). Luther: „deine Hand wird deinen Feinden auf dem Halse seyn" etc. Teller[1]), qui vertit: „du wirst deinen Feinden auf den Nacken seyn", ex hypothesi sua supra commemorata hunc constituit sensum: „quum tribus Judæ in agmine, in castris movendis, primum locum semper habitura sit, fiet, ut, quando cum hostibus pugnandum sit, prima etiam aggrediatur et fugatos hostes proxime insequatur, tergis fugientium acriter inhærens". Sic etiam Aurivillius[2]), qui provocat ad Num. 2, 3—9. 10, 14. additque: „ductu illius atque auspicio non solum gentes terræ Cananææ incolas, contra quos prima adscendit pugnatura, finibus patriis feliciter expulerunt Israelitæ, cfr. Jud. 1, 1. 2, 4 sqq. 3, 9. 10. cet. verum etiam sub imperio præsertim Davidis nationes circumjacentes fregerunt plurimas atque domuerunt, cfr. 1 Sam 18, 6. 7. 2 Sam. 8 & 10, 13 sq. 12, 26—31. 22, 44. 1 Chr. 19, 14 cet." Quæ ultima recte observata sunt, nam quæ etiam fuerit virtus bellica tribus Judæ sive in itinere per desertum, sive in terræ Cananææ expugnatione, et quanta

---

1) Uebersetzung des Segens Jacobs etc. p. 38. 2) Dissertatt. ad sacras litteras etc. p. 232.

etiam auctoritas hanc ob causam ipsi contigerit, tamen constat, epocham splendoris et potestatis hujus tribus primum cum Davide incepisse, sub cujus filiique Salomonis imperio ad summum pervenerit fastigium; et certe cum hac periodo nulla antecedentium conferri potest. Davides, primus ex tribu Judæ rex Israelis totius, domesticis tumultibus sedatis, subditos sibi subjecit omnes populos vicinos, quos in plurimis pugnis victrice superaverat manu, et regnum pacatum filio Salomoni relinquere potuit. In Ps. 18, 41 ipse Davides, lætus in memoriam revocans auxilium Jehovæ sibi in tot tantisque periculis oblatum, similibus ac hl. verbis gloriatur: איבי נתתה לי ערף ומשנאי אצמיתם :כ „hostes meos in fugam vertisti et osores meos perdidi", immo in v. 44: „liberasti me a contentionibus populorum, posuisti me caput gentium: populi, quos non cognovi, servierunt mihi", cfr. 45—46. — In formula יָד בְּעֹרֶף explicanda quum interpretes moneant de simili, ut putant, more populorum antiquorum pedem collis devictorum imponendi[1]), quem hodie adhuc Indi[2]) adhibent, minus recte agere videntur, quum hl. modo fugam hostium, quorum vestigia premet Juda, nobis ante oculos sistat auctor, et ista symbolica actione sola hostium oppressio, post cladem, significetur. — Ceterum observandum textum Samaritanum habere ידיך plur. ut LXX.

יִשְׁתַּחֲווּ לְךָ בְּנֵי אָבִיךָ „procumbent coram te filii patris tui". Hisce verbis clarius indicatur dignitas regia tribus Judæ, qua per Davidem supra ceteras tribus esset evehenda. שָׁחָה in Hithp. respondet Græcorum προς-

1) Stockdale: Sitten der alten Völker S. 356. 2). Bhartrih. sent. 3, 68. v. Bohlen Genesis etc. p. 259.

κυνεῖν et de summa illa reverentia et religione, qua reges et principes a subditis in Oriente coli solent, usurpatur, cfr. 2 Sam. 9, 8. 14, 33. 18, 28. 24, 20. 1 Reg. 1, 23. 53. etc. Mos enim erat, ut, qui hoc modo aliquem dignitate conspicuum salutare vellent, in genua procumberent et fronte humum tangerent, unde sæpius additur אַפַּיִם אַרְצָה 1 Reg. 1, 23 etc. quo ritu etiam summum numen colere solebant, precibus illud adeuntes, cfr. Gen. 22, 5. 1 Sam. 1, 3 etc. Hinc metonymice שָׁחָה notat: „obsequium alicui præstare, se submittere", cfr. Ps. 45, 12, ubi de rege dicitur: הוּא אֲדֹנַיִךְ וְהִשְׁתַּחֲוִי־לוֹ „ipse est dominus tuus, tu vero eum adora" ɔ: obedientiam ei præsta! Sensus egitur hl. est: ob virtutem, quam in bellis cum hostibus ostendes, ob magnam illam potentiam, quam, adversariis subactis, tibi parabis, subditi fratres tui imperium tuum venerabundi agnoscent, obedientiam tibi præstantes; cfr. Vulgat: „adorabunt te filii patris tui"; LXX *προςκυνήσουσι σοι οἱ υἱοὶ τοῦ πατρός σου*, et Syrum: ܢܣܓܕܘܢ, ܠܟ ܒܢܘܗܝ ܕܐܒܘܟ, omnes textum hebræum prementes. Onkelos graphice reddit: וִיהוֹן־מַקְדְּמִין לְמִשְׁאַל בִּשְׁלָמָךְ בְּנֵי אֲבוּךְ „et prævenient salutantes te filii patris tui"; similiter Jonathan & Hierosolymitanus. Recte Friedrich [1]) sensum expressit: „sind unterthänig dir die Söhne deines Vaters", et Hufnagel [2]): „dir huld'gen deines Vaters Söhne". Quam coacte Teller etiam hoc membrum ad principatum Judæ in itinere per desertum referat, quum ad hl. dicat: „die Sache gieng

---

1) Der Segen Jacobs, eine Weissagung des Propheten Nathan. Breslau 1811. 2) Was ist Schilo im Vater Segen Jacobs? ein Versuch über 1 Mos. 49, 10 in Repert. für biblische und morgenländische Literatur 14ter Th. Leipz. 1784 p. 235—251.

zuerst in ihre Erfüllung, da die übrigen Stämme diesem bey jedem neuen Ausmarsch nachfolgten und dem Zeichen, das ihnen dieser zum Aufbruch gab, gehorchten", facile quisque videbit. — בְּנֵי אָבִיךָ cum emphasi de omnibus fratribus Judæ dicitur, quibus diversæ matres, sed unus modo pater, cfr. R. Salomon Jarchi [1]) ad hl.: „quum", ait, „Jacobus filios ex pluribus uxoribus procreaverit, non loquutus est ut pater Isaacus בְּנֵי אִמֶּךָ (Gen. 27, 29)". Ceterum Al. Geddes [2]), 2dum membrum parellelismum 1mi et 3tii perturbare putans, arbitrarie duo ultima membra transponi jubet. Quod necessarium non est, quum optime nexus, ordine membrorum solito servato, hoc modo definiri possit: primum membrum thema breviter exhibet, duo sequentia accuratius proponunt: Juda a fratribus omnibus laudibus celebrandus est, nam hostes externi debellati sunt et omnes populares ipsi subjecti [3]).

Catulus leonis Juda, 9
De præda, fili mi! adscendisti.
Procumbit, cubat ut leo,
Ut leæna; quis excitabit eum!

Pulcherrimam in singulis hisce membris esse gradationem nemo non observabit. Optima illa leonis imagine robur et potentiam tribus Judæ formidabilem ante oculos lectorum sistit poeta, epitomen quodammodo exhibens poeticam historiæ hujus tribus per singulas imperii Davidis periodos.

---

1) Rabbi Salomon Jarchi ausführlicher Commentar über den Pentateuch, aus dem Original-Texte zuerst in's Deutsche übersetzt und mit Anm. etc. versehen von Haymann 1ster B. Bonn 1833. 2) Cfr. ejus annotatt., quas J. S. Vater in Commentar über den Pentateuch receptas Germanice vertit. 3) Cfr. v. Bohlen in lib. cit. p. 459.

גּוּר אַרְיֵה יְהוּדָה „catulus leonis (est) Juda". Vocem גּוּר, quæ in V. T. speciatim de catulo-leonis occurrit (semel de catulo canis feri s. canis aurei, Schakal, Thr. 4, 3), cfr. Ez. 19, 2, sæpissime ut hl. adjecto אַרְיֵה s. אֲרָיוֹת ut Jer. 51, 38, cum Gesenio, Winer etc. explicamus de catulo matris adhuc ubera sugente, quæ significatio cum etymologia et usu loquendi optime convenit. גּוּר nempe ideo dicitur catulus, quod adhuc in hospitio et sub tutela matris versetur, a rad. גּוּר peregrinatus, commoratus est, et distinguitur a כְּפִיר ɔ: leone juveni, qui a lacte matris depulsus prædari et sibi ipse victum quærere incipit, cfr. impr. Ezech. 19, 2. 3. 5. 6. ubi leæna dicitur e catulis suis (מגוריה) unum fecisse כְּפִיר, qui rapinam quærere et homines comedere didicerit. Egregie vero hac vocis גּוּר notione loco nostro consulitur, in quo poeta per gradus distinctos comparationem suam ad finem usque perducit, et vivida imagine adhibita crescentem, a parvis incrementis incipientem, potentiam Judæ et opes sensim auctas depingit. Ex consulto igitur in primo membro a comparatione cum parvulo leonis catulo incipit, in quo innata fortitudo et robur nondum expergefacta sunt, quum a matre adhuc nutriatur et alatur. Contra v. Bohlen [1]), hl. respici ad progressivam Judæ tribus potestatem negans, explicat גּוּר per juvenem leonem, ad quem id quod in 2do membro dicitur refert; sed sic poetica gradatio perturbatur, simul contra usum loquendi peccatur. Ceterum

1) Die Genesis etc. p. 459: „der junge Löwe — ist muthig und kühn und es wird nicht etwa mit Schumann ein fortgehender Zustand Judas von geringen Anfängen zu grösseren Thaten geschildert: der junge Löwe ist schon mit seinem Raube heimgekehrt".

nobilis illa cum leone comparatio omnibus fere antiquis populis usitatissima est [1]). Ob robur, fortem et intrepidum animum, dignitatem majestatemque vultus atque incessus in omnibus linguis rex animalium salutatur leo. Sic Oppianus [2]) de leonibus dicit:

Δώροισιν μετόπισθε Διὸς μεγα κοιρανέεσι
Θερσίν ὀρειαύλοις etc.

Idem in eodem libro *κλυτὸν βασιλῆα λέοντα* habet (cfr. *θηρῶν τε βασιλεὺς ὁ θρασὺς ἄναξ λέων* apud Philen)[3]). Apollonius [4]) tradit Amasin, Ægypti regem, olim conversum fuisse *ἐς τὸ βασιλικώτατον τῶν θηρίων* ɔ: leonem. Apud Suidam anonymus quidam dicit: *ἀρχὴ ἡ μὲν φυσικὴ ὡς λεοντος ἐν ζώοις, καί ἀετȣ ἐν ὀρνέοις· ἡ δὲ χειροτονητὴ ὡς ἐπὶ βασιλέως ἀνθρώπων.* Epiphanius [5]) leonem vocat *βασιλικώτατον γένος ἐπὶ τα ἄλλα ζῶα.* Damir Arabs magnum de animalibus opus a leone incipit: „ab eo utique", ait, „nobis initium est, quia ferarum est nobilissima et dignitas ejus præ illis tanquam timendi regis est propter robur ejus & audaciam et asperitatem et generosum animum et naturalem proterviam", et sic permulti, ne de mythologis ut Æsopo, Phædro in locis innumeris, et de omnibus fere poetis loquamur. In V. T. fortitudo leonis impavidusque animus laudatur Jud. 14, 18: „quid robustius leone?" מה עז מארי. Prov. 30, 30: ליש גבור בבהמה ולא־ישוב מפני־כל „leo inter bestias fortissimus, qui nullius occursum vitat" etc. Hinc frequentissimæ in V. T. cum

---

1) Cfr. Rosenmüll. alt. und neues Morgenl. Vol. I. p. 233.
2) Cyneg. lib. 3. 3) Cfr. Bocharti Hierozoicon. Lond. 1663.
4) Philostrat. lib. 5, c. 17. 5) Hæres. 17. sect. 12.

leone comparationes; sic primum ipse Deus [1]): Job. 10, 16. Thren. 3, 10. Jer. 25, 37—38. Es. 31, 4. 38, 13. etc. cum leone comparatur; similiter homines justi ob firmam in Deo collocatam fiduciam Prov. 28, 1; heroes, ex. gr. 2 Sam. 17, 10 אשר לבו כלב האריה (nostrum: løvehjertet, cfr. coeur de lion), Saulus & Jonathan 2 Sam. 1, 23 מאריות גברו „fortiores leonibus" dicuntur. 1 Chron. 12, 8 undecim Gaditarum, qui ad Davidem transierunt, vultus comparantur cum vultu leonis פני אריה פניהם. Hinc אֲרִיאֵל o: „leo Dei" nomen proprium occurrit 2 Sam. 23, 20 & 1 Chr. 11, 22 de nonnullis Moabitarum heroibus [2]), quemadmodum hodie adhuc vir fortis Arabibus dicitur أسد الله et ليث الله leo Dei (sic Ali, quartus chalifa, in specie nominatur), similiter Persis شير خدا Schiri khoda, id. titulus heroum [3]); apud Indos [4]) leo nomen est honorificum heroum non minus quam apud hodiernos Americanos septentrionales. Ipsa etiam Hierosolyma [5]) ob multitudinem heroum epitheto אֲרִיאֵל ornantur. Eadem cum leone heroum comparatio frequentissime ocurrit apud Græcos & Romanos poetas; Homerus [6]) in scenam producit Hectorem et Ajacem concurrentes λείουσιν ἐοικότες ὠμοφάγοισιν, Achillem [7]) vocat θυμο-

---

1) Cfr. descript. Cherubim Ezech. cpp. 1 & 10. 2) Bocharti (in Hierozoic. p. 711) putat Ariel apud Moabitas fuisse nomen heroum in universum; ceterum Esra 8, 16 ut nomen doctoris cujusdam occurrit. 3) Bochart. Hieroz. p. 766 sq. Marmol. Afric. lib. 2 c. 12. Schultens. ad excerpta ex Amamoddino p. 14. Gesen. comment. in Es. Tom. I p. 851. v. Bohlen Symb. p. 32. 4) Cfr. Schol. ad Naloday 3, 1. 5) Schrammii dissert. de אריאל et אוב in Bibl. Brem. III p. 333 sqq. 6) Iliad. 7, 256. 7) Iliad. 7, 228.

λέοντα, similiter Herculem [1]); Lycophron [2]) vocat Herculem *τριέσπερον λέοντα.* Virgilius [3]) Turnum comparat cum leone etc., sed poetas hic citare superfluum est, quum nil imagine haece illis frequentius sit. Non mirandum igitur reges [4]) sæpissime cum leonibus conferri, ut Prov. 19, 12. 20, 2. Ez. 32, 2 de Pharaone כפיר גוים נדמית „similis fuisti leoni gentium". In additamentis libr. Esth. regina deum rogat *δὸς λόγον εὔρυθμον εἰς τὸ ςόμα μȣ ἐνώπιον τȣ̃ λέοντος* ɔ: coram rege Ahasuero. Totus populus denique cum leone comparatur Num. 23, 24. 24, 9, ut etiam singulæ tribus, ex. gr. Gad Deutr. 33, 20; Dan Deutr. 33, 22. Nullo vero loco præter hunc nostrum elegantius perfectiusque absoluta est hæc comparatio. — In primo v. 9 membro vertendo omnes fere interpretes consentiunt: LXX *σκύμνος λέοντος Ἰȣ́δα.* Syr. ܓܘܪܝܐ ܕܐܪܝܐ Arab. in Polygl. تكون يا يهوذا كشبل اسد „eris ut catulus leonis, o Juda!" Minus recte J. G. Hasse [5]) „ein rascher Löw' ist Juda", et v. Bohlen: „das Junge einer Löwin ist Juda", nam אַרְיֵה = אֲרִי Syr. ܐܪܝܐ ch. אַרְיֵה est nomen generis, apellatio universalis leonis nullo sexus respectu habito. Onkelos longe alia ac textus Hebr. exhibet: שלטון יהי בשירויא ובסופא יתרבא־מלכא מדבית יהודה „dominium erat in principio, sed in fine magnificabitur regnum domus Judæ". Prosaice omnino Jonathan et Hierosolymitanus: מדמי אנא לך יהודה ברי

---

1) Iliad. 5, 639. Cfr. Hesiod. Theog. 1007. Cfr. Iliad. 12, 299 de Sarpedone. 2) c. 33. 3) Æneid. lib. 12 v. 6. 4) Cfr. 2 Chr. 9, 18 ubi thronus Salomonis 12 leonibus circumdatus describitur. 5) Neue Uebersetzung des Abschiedsgesangs Jacobs 1 Mos. 49 in Magazin für die biblisch-orientalische Lit. u. gesammte Philolog. 1 Th. p. 9.

לגור בר אריון „assimilo ego te, Juda fili mi! catulo filio leonum". — Pergit deinde auctor in 2do membro:

מִטֶּרֶף בְּנִי עָלִיתָ. In hisce verbis reddendis et exponendis incerti admodum fluctuant interpretes, partim ob variam, qua in Vet. Test. gaudent, significationem, partim quod multos offendit 2da persona hl. adhibita, ceteris in hoc versu tertiam postulantibus, qua enallage nexum orationis perturbari dicunt. Sic טֶרֶף quum Ez. 17, 9 כל־ טרפי צמחה occurrat sensu folii (cfr. Chald. טַרְפָּא Syr. ܛܪܦܐ Arab. طارف pr. recens, a طرف nova fuit, recens prodiit res, unde adj. טָרָף recens Gen. 8, 11 עלה זית טרף folium olivæ recens vel viride), LXX 2dum membrum vertunt ἐκ βλαςȣ̃ υἱέ μȣ ἀνέβης, „e germine, fili mi! adscendisti" ɔ: ex parvis initiis invaluisti. Sed solita τȣ טֶרֶף notio est præda, quæ laniatur, pr. animal laniatum vel laniandum, cfr. Job. 4, 11. Nah. 2, 13. Am 3, 4. Job. 38, 39, in quibus omnibus locis speciatim de præda leonis usurpatur; etiam ipsa radix טָרַף, discerpsit, laceravit, pr. de feris adhibetur, cfr. Gen. 37, 33. 44, 38 (cfr. arab. طرف secuit, dissecuit, discidit; hinc الطوارف de feris, quæ prædam humi trahunt من السباع التى تسلب الصيد). Significatio vero prædæ optime hl. convenit cum imagine a leone petita, etiam plerique interpretum hanc notionem retinuerunt. — Major vero de עָלִיתָ extat dissensus. Multi, inter quos Aurivillius, metaphoricam hujus vocis significationem, sc. crescendi, invalescendi præferunt. Provocant ad nonnullos V. T. locos, in quibus עלה hanc habet notionem, ex. gr. 1 Reg. 22, 35. תעלה המלחמה ɔ: invaluit bellum; Deutr. 28, 43 de ipsis hominibus dicitur: הגר אשר בקרבך יעלה עליך מעלה מעלה „ipse peregrinus, qui in medio tecum versatur, super te magis magisque adcrescet, sed

tu ואתה תרד מטה מטה continuo decresces", ubi LXX .... ἐναβήσεται ἄνω ἄνω, σὺ δὲ καταβήσῃ κάτω κάτω, cfr. Syr. hl. ܢܬܥܠܐ ܥܠܝܟ ܠܥܠ „extolletur supra te sursum" et Arabs in Polyg. يرتفع عليك علوا كبيرا „evehetur super te altitudine maxima"; denique Prov. 31, 29. בנות עשו חיל ואת עלית על־כלנה „multæ filiæ acquisiverunt divitias, sed tu crevisti super omnes istas", hl. LXX .... σὺ δὲ ὑπέρκεισαι, ὑπερῆρας πάσας, „tu vero emines, superasti omnes"; Vulg. „tu supergressa es universas"; Syr. ܘܐܢܬܝ ܥܠܝܬܝ ܥܠ ܟܠܗܘܢ „tu has omnes excelluisti"; Arabs in Polygl. وانت استعليت عليهن „verum tu illas vicisti". Huc accedit, (dicunt), quod Arabum علا notione quoque gaudet superandi, eminendi nobilitate, dignitate, tollendi, evehendi etc., eodem modo, quo passim Græcorum ἀναβαινειν sumitur, ut Matth. 13, 7. Marc. 4, 7. 32 de plantis, et Latinorum adscendere sæpissime, ut apud Ciceronem: adscendere ad honores[1]), adscendere gradum dignitatis[2]) ɔ: honore, dignitate augeri etc. etc.; quin in universum voces, quæ elationem significant, in linguis plurimis ad incrementum referri solere constat, cujus rei multa exempla exhibet Joh. Simonis[3]). Aurivillius igitur, qui timet, „ne tota locutio, hoc modo (ɔ: proprio et physico) explicata, nimis languida habeatur, et ipsa etiam similitudo non satis sibi constet, quoniam ad veritatem minime pronum videtur, semper in depressis locis prœlia cum hostibus commisisse Judæos et inde ad altiora adscendisse, spoliis manubiisque ditatos" (!), locum nostrum vertit: „præda invaluisti, mi fili!" sensum hunc constituens: quemadmodum leones rapinis incrementa

---

1) Brut. c. 68. 2) Pro Mur. c. 27. 3) Onomast. V. T. p. 36 n. 6.

capiunt et robustiores evadunt, ita etiam Judæ posteros, bellis feliciter gestis et victoriis sæpe reportatis, augendos esse etc. Inter illos, qui hanc probant interpretationem, citamus Lutherum, qui reddit: „du bist hoch gekommen, mein Sohn, durch große Siege"; Teller[1]): „(bald) wirst du, mein Sohn! vom Raube wachsen", quod ita explicat: „in kurzen wird er durch die Niederlage der cananitischen Völker noch größer werden"; Michaelis[2]): „vom Raube, mein Sohn, bist du groß geworden"; Friedrich[3]): „wuchst du, mein Sohn! vom Raub empor!" F. Schmidt[4]): „af Rov, min Søn! du voxte til" etc.; quibus quoque Gesenius[5]) adnumerandus est. Hanc explicationem bene posse cum contextu et ipsa imagine hl. usurpata conciliari, facile concedimus, sed nihilotamenminus plura sunt, quæ illi obstare putamus. Primum constat עלה frequentissime notione adscendendi e loco scilicet depressiore in editiorem occurrere, ex. gr. de iis, qui in Judæam ex Ægypto proficiscuntur, cfr. Gen. 13, 1. 44, 24. Ex. 1, 10; ex regno δεκαφύλῳ Es. 7, 1. 6; ex Assyria Es. 36, 1. 10; de iis, qui sacrarium petebant, in loco scil. edito situm Ex. 34, 24; qui in urbem proficiscebantur 1 Sam. 9, 11 etc.; etiam res inanimatæ adscendere dicuntur, ut fumus Gen. 19, 18, aurora Gen. 19, 15. 32. 25, 27, via sursum tendens Josv. 20, 31 etc., præsertim plantæ progerminantes, quæ crescendo in altum tendunt, cfr. Gen. 40, 10. 41, 22.

---

1) Uebersetzung des Segens Jacobs und Mosis etc. p. 39. 2) Deutsche Uebersetzung des Alt. Test. mit Anmerk. für Ungelehrte, 2ter Th. p. 132. 3) Der Segen Jacobs, eine Weissagung des Propheten Nathan etc. 4) Pentateuchens poetiske Stykker, rhytmisk oversatte etc. p. 31. 5) Lex. manual. Hebr. 1833, p. 767.

Deutr. 29, 22 etc. Præterea exemplum vel analogum notionis crescendi, invalescendi τῦ צלח cum מטרף conjuncti de animalibus adhibitum in V. T. non facile invenies. Propria denique verbi significatio optime quadrat in comparationem cum leone, qui, uti ex antiquis æque ac recentioribus rerum naturalium peritis constat, sæpissime lustrum in speluncis montanis habet, de quibus prædaturus in planitiem descendit, post vero prædam factam satiatus in lustrum, in monte situm, adscendit. Leones in montanis regionibus refugia sua habere, testatur ipsa Sacr. Scrp. ex. gr. Deutr. 33, 22, ubi Dan comparatur cum גור אריה qui exsilit e Basane ɔ: ex montibus Hermonis (cfr. 1 Chr. 5, 23. Ps. 68, 16); Cant. 4, 8, ubi montes Libanon, Amana, Schenir, Hermon synonymice cum מענות אריות „lustra leonum" conjunguntur, cfr. Ez. 19, 9. Jer. 49, 19. 50, 44. Hinc Homerus[1]) ὥςτε λέων ὀρεσίτροφος, cfr. Zenophont.[2]) τὰ δε αὐτων καταβαίνοντα εἰς τὸ πεδίον τῆς νυκτὸς, ἀποκλεισθέντα μετα ἵππων καὶ ὅπλων, ἁλισκεται etc. Qui plura de hac re cupit, adeat Bochartum[3]). — מִן ante טֶרֶף vertimus post ɔ: post prædam in planitie raptam in montes adscendit. Sic etiam 1 Sam. 14, 46 Saulus post victoriam de Philistæis reportatam adscendisse dicitur ויעל שאול מאחרי פלשתים. Similiter leo hl. herois instar, præda facta, lustrum suum petit. Quibus patet, observationem Telleri[4]), vetare מטרף quominus vertamus adscendit, sc. ex lustro, cum dici debuisset ממעון s. ממסתר, nobis non curandam esse. Plerique etiam interpretes a

---

1) Iliad. 12, 299. 2) De Venat. 3) Hieroz. p. 735. 4) Notæ Critt. et Exegett. p. 69.

parte nostra sunt, ut Vulg. qui reddit: „ad prædam, fili mi! adscendisti". Syrus: ܡܢ ܩܛܠܐ ܒܪܝ ܣܠܩܬ „de cæde, fili mi! adscendisti". Aquila: ἄπὸ ἁλώσεως υἱε μυ ἀνέβης. Symmachus: ἐκ θηριαλώσεως υἱε μυ ἀνέβης, post quos Herder: „vom Raube, Sohn! bist du emporgestiegen", similiter Hasse, v. Bohlen etc. In membro 2do jam leo adultus describitur, qui, non amplius גּוּר, ipse prædaturus exit et in suum ipsius lustrum redit. Ceterum recte v. Bohlen illos vituperat, qui cum Rosenmüllero עָלִית vertunt „adscendes", observans: „das Präteritum darf selbst nicht im Sinne einer Weissagung, die alles vor Augen bringt, weil sie von der Gegenwart copirt wird, als Futurum gefaßt werden". Enallage vero personarum, qualis in hoc versu exstat, Hebræorum poetis frequentior est, quam ut quemquam offendere debeat (cfr. ex. gr. totum Ps. 91). Onkelos, Jonathan & Hierosolymitanus longe alium sensum textui nostro obtrudunt; primus nempe obscure vertit: ארי־מדין קטלא ברי־נפשך סלקתא „quoniam de judicio mortis, fili mi! animam tuam abstulisti". Sine dubio respexit ad Gen. 37, 26—27, ubi traditur Juda cædem dissuasisse Josephi, et Gen. 38, 28, ubi Thamarem nurum supplicio liberat, nam Jonathan expressis verbis hæcce *facta* in sua paraphrasi commemorat: דמן קטוליה דיוסף ברי סליקת נפשך ומדינא דתמר תהי משזיב „nam ab occisione Josephi, fili mi! abstulisti animam tuam & a judicio Thamaris eris liber"; similiter Hierosolymitanus: מן קטלוי דיוסף את הויתא משיזיב מן דינא דתמר ברי את הויתא זכאי „ab interficientibus Josephum tu eripiebas, et a judicio Thamaris, fili mi! tu eras innocens". Cfr. Arab. in Polygl. لانك خلصت ابني من القتل „quia eripuisti filium meum (Josephum) e morte".

כָּרַע רָבַץ כְּאַרְיֵה „genua flectit, cubat ut leo". כָּרַע Arab. كرع flexit se, genibus se incurvavit, genua flexit. Alias de illis usurpatur, qui regem vel deum adoraturi in genua procumbunt, quo sensu cum השתחוה conjungitur, ut Ps. 95, 6. Esth. 3, 2. 5; aut de iis, qui viribus deficientibus corruunt labantque, ubi sequi solet נפל cfr. Ps. 20, 9. (cfr. Gesen. ad Es. 46, 1. 2). Hl. ut Num. 24, 9 כָּרַע simpliciter flexum indicat genuum, cum quis ad decumbendum et quiescendum se præparat, et jungitur cum רָבַץ, quod proprie de quadrupedibus occurrit, quæ complicatis pedibus pectori incumbunt, ut arab. ربض, cfr. Es. 11, 6. Gen. 29, 2. Ps. 104, 22. Jam vero quum talis bestiarum recubitus vel quietis capiendæ causa fiat vel ad prædam captandam, duplex oritur hujus verbi notio: quiete et secure vivere, cfr. Es. 14, 30. Job. 11, 19. 17, 2 de hominibus, placide quiescere de aquis, cfr. Gen. 49, 25, et insidiari, cfr. Gen. 4, 7 de peccato leonis instar ad januam insidiatore (cfr. arab. ربض id. رباض, رابض insidiator, poet. de leone). Nostro loco רבץ imagini poeticæ egregie inservit: leo, post prædam captam stagemque pecudum factam, redit in lustrum, ubi genibus flexis in terram procumbit, ut tandem placida quiete fruatur et otio recreetur. — Pulcherrimam denique imaginem ab omnibus absolvit partibus poeta, addens:

וּכְלָבִיא מִי יְקִימֶנּוּ „ut leæna! — quis excitabit eum!" De sexu vocis לָבִיא interpretes vehementer disputant, nonnullis femininam, aliis masculinam eam habentibus. Ex veteribus Vulgatus, Onkelos, Arabs in Polygl., ex recentioribus Lutherus, Clericus, Bochartus, Houbigantus, Michaelis, Rosenmüller, Winer,

Friedrich, v. Bohlen etc. de leæna exponunt. Qui vero masculinum sexum, partim ob terminationem masculinam, partim quod genus femininum notionem debilitatis afferre ipsis videtur[1]), præferunt, varie hanc vocem reddunt. LXX σκύμνος ɔ: catulus. Syr. ܓܘܪܝܐ ܕܐܪܝܐ catulus leonis, sic etiam Tremellius, Junius etc. qua versione omnis gradatio poetica evanescit; nonnulli, ut hanc servent, לָבִיא de immani leone aut de leone annoso explicant; sic Vater: „der gewaltige Löwe". Herder: „ein mächt'ger Löwe"; versio Danica: „en stor Løve", quem sensum plerique etiam lexicographi, inter quos ipse Gesenius, defendunt; editt. Oper. Bibl. ex Angl. coll. habent: „ein alter Löwe". Justi[2]) eodem sensu vertit: „der Löwenheld", J. E. C. Schmidt: „gleich dem Helden der Löwen". Bochartus[3]), omnibus eruditionis subsidiis adhibitis, significationem leænæ voci hebraicæ studet vindicare. Provocat scilicet ad etymon Arab. لَبَأَ, quod in I conj. notat: a) mulgere colostrum seu primum lac, quod statim post partum oves edunt, densum ac coalescens (Gr. πρωτόγαλα), b) colostrum, lac novum aliis propinavit. II conj. colostrum in mammis habuit ovis. IV lactare colostro, catulis colostrum præbere, a qua radice hæ derivantur formæ لَبَةٌ, لَبَاةٌ, لَبْآةٌ, لَبِيَةٌ, لَبْوَةٌ, لُبْوَةٌ, لَبُوَةٌ (apud Gieuhar. et Camus.), quæ omnes leænam significant[4]) == hebr. לָבִיא (in lingua coptica similis exstat forma ⲗⲁⲃⲟⲓ ursus). Præter h. l. decies tantum in

---

1) Cfr. J. E. C. Schmidt: eins der ältesten und schönsten Idyllen des Morgenlandes 1 B. M. 49 c., neu übersetzt mit Anmerk. Giessen 1793. 2) Nationalgesänge der Hebräer P. II. 3) Hierozoic. p. 719—20. 4) Golii lex. Arab. p. 2093.

V. T. occurrit hæc vox mere poetica, sc. Num. 23, 24. 24, 9. Deutr. 33, 20. Job. 4, 11. 38, 39. Es. 5, 29. 30, 6. Hos. 13, 8. Joel 1, 6 & Nah. 2, 12, in quibus locis omnibus LXX et Syrus et plerique recentiores ut masculinam vertunt, sed Vulg. sæpe, Hieronymus et Paraphrastæ Chaldæi plerumque, Arabs in Polygl. passim femininam reddunt. In Ez. 19, 2 forma ad femininam propius accedens invenitur, scilicet לְבִיָּא, quæ ex argumento illius loci nonnisi de leæna accipi potest, unde lexicographi haud pauci eam pro לְבִיאָה habent, quemadmodum ex נָבִיא derivatur נְבִיאָה (sic Kimchi, qui in libro שרשים Jod alterum in לְבִיָּא poni pro א, א ultimum pro ה opinatur); immo Bochartus nude et arbitrarie asserit, Masorethas, quibus persuasum fuerit לָבִיא esse leonem marem, cum vidissent Ez. 19, 2 leænam sine ullo dubio sumi, pro לָבִיא mutatis punctis legi voluisse לְבִיָּא; pariter absque ulla ratione Aurivillius, LXX et Syrum in Ez. 19, 2 ut hl. legisse לָבִיא contendit; rectius vero Schultensius[1]), Gesenius, Winer לְבִיָּא habent formam Aramaicam pro לְבִיָּה. Utcunque tandem fuerit, לְבִיָּא non est nostrum לָבִיא. Jure autem Bochartus et Aurivillius formam masculinam τȣ לָבִיא significationi femininæ hl. præferendæ non obstare censent, cum plurima in V. T. exempla vocum, præsertim nominum animalium afferri possint, quæ, licet terminatione non gaudeant feminina, nihilominus femininam habent notionem, ex. gr. רַמָּךְ equa, עֵז capra, רָחֵל ovis, אָתוֹן asina, אֵם mater, פִּלֶגֶשׁ pellex, רוּחַ spiritus (interdum fœm.) etc. etc.[2]). Etsi igitur derivatio Gese-

---

1) Institut. ad fundam. L. Hebr. p. 473 ed. 2da. 2) Ewalds kritische Grammatik der hebr. Sprache. Leipz. 1827. p. 301—308.

nii a לבא & לבה rad. inusit. onomatopoiet. rugiendi sonum imitante (cfr. german. antiq. luwen, lüwen, leuen, angl. to low, unde Löwe, Leu, gr. λέων) haud improbanda videtur, Bochartum tamen Goliumque sequi non dubitamus eoque minus, quo formæ Arabicæ cognatæ supra citatæ omnes leænæ significatum tuentur. Optime denique notio leænæ in totam imaginem hl. adhibitam quadrat. Leonem enim, ut recte observant Bochartus aliique, æquat leæna, immo etiam superat robore et feritate, quam rem tam antiqui quam recentiores una voce testantur. Hinc Herodotus[1]) ἡ δε λεαινα ἐον ἰσχυροτατον και θρασυτατον ait. Gellius dicit: „animalium acerrimum leæna et audacissimum". Plutarchus[2]): αὐτὸς δὲ καὶ παρδάλεις, καὶ λεαίνας πολλάκις ἑώρακας, ὡς ὀδέν τι τα θηλεα τοῖς ἄῤῥεσιν ὑφιέτο τῦ θυμῦ, καὶ ἀλκῆς. Ælianus[3]): φασὶ γῦν καὶ Σεμιράμιν την Ασσυρίαν, ὀκ εἴποτε εἶλε λέοντα ἤ πάρδαλιν κατέκτανεν, ἤ ἀλλότι τῶν τοιύτων, ἀλλ' εἰ λεαίνης ἐγκρατὴς ἐγένετο, μεγα ἐφρόνει tradit additque: πεπίςευται ὀ μονον παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀλκιμώτατον τε και δυςμαχώτατον εἴη θηρίον ἡ λέαινα, ἀλλά καὶ παρὰ τοῖς βαρβάροις, cfr. Ovidium[4]), Virgilium[5]) aliosque. Cum hisce recentissimi autores, qui in Asia & Africa itinera fecerunt, omnes consentiunt, leænas, ut omnium omnino animantium feminas, præsertim catulos lactantes maribus longe audaciores sævioresque esse, et in catulis defendendis terribilius furere affirmantes. Nil igitur obstare videtur, quominus לְבִיא hl. leænam verta-

1) Lib. 3 c. 108. 2) Tract. quod bestiæ ratione utantur. 3) In variis lib. 12 c. 29. 4) Metam. lib. 13 v. 547 sq. 5) Georg. lib. 3 v. 245 sq.

mus, qua voce significantissima, ut mos fert poetarum, comparatio tota egregie absolvitur et pulcherrimæ imagini quasi corona imponitur. Quamobrem ultimum locum hic recte occupat leæna, ipso adulto et forti leone longe terribilior. — מִי־יְקִימֶנּוּ ɔ: quis Judam in pace quiescentem fructibusque victoriæ tranquille fruentem ad nova lacessere bella audebit? quis otium ejus perturbare virtutemque ejus excitare conabitur? Quod ejusdem esset vesaniæ, ac si quis leænam in antro quiescentem aggredi vellet. In tota hac comparatione ne minimum quidem vocabulum superfluum esse quisque facile animadvertet. Vividis coloribus ac veluti in tabula dignitatem Judæ regiam ac potestatem depinxit autor. Quod consilium poetæ si evidenter et manifeste ex singulis imaginibus prodit, lector quisque historiæ Judæorum peritus, ubi de tempore illo, quod vaticinio nostro respondeat, quæsiverit, non potest quin de bellica illa periodo cogitet, qua post mortem Saulis tribus Judæ sub rege Davide, de medio suo orto, sensim ad summum pervenit imperium bellisque intestinis compositis, ceteris tribubus subjectis, vicinis omnibus, Philistæis, Edomitis, Moabitis, Ammonitis, immo Syris Zobæ, Hamathi, Damasci sub jugum missis, opes tantas tantamque obtinuit potentiam ac robur, ut non facile eum, quamvis in pace quiescentem, ad nova bella irritare quisquam auderet, cfr. 2 Sam. 7, 9. 8 c. 10, 13. 12, 26—31. 22, 38—51. 1 Chr. 14, 2. 17. 18, 6. 13. 19, 5—19. 29, 28—30 cet. Immensæ divitiæ, multorum bellorum fructus, Hierosolymis erant congestæ (cfr. 2 Sam. 8, 6—8. v. 10—11); in monte Zionis Davides arcem sibi exstruxit ibique sedem regni collocavit (cfr. 2 Sam. 5, 9—11) et ad finem usque vitæ suæ ex omnibus periculis

certaminibusque salvus felixque egressus est, hostibus externis fortiter debellatis, seditionibusque Sebæ, Absalonis, Adonjæ feliciter sedatis. Omnibus tandem laboribus finitis, rex Davides, fortissimus heros, in sublimi isto loco, in arce munita, veluti leo in lustro tranquille residere potuit; tanta gloria parata, tot victoriis reportatis, in summo fortunæ fastigio collocatus, tandem sub finem vitæ, laboribus et ætate debilitatus, otium et quietem desideravit. Nihilotamenminus hostibus et adversariis semper formidabilis fuit, quies ejus ut leonis in lustro recubantis. Huc conferendus videtur Esaianus ille locus, Es. 29, 1 אריאל אריאל קרית חנה דוד „Ariel, Ariel! civitas, in qua sedem fixit Davides"; Zion insignitur nomine leonis Dei, quia herois Davidis erat castrum, instar lustri leonis. Recte Venema: „imago leonis Judæ attributa", ait, „regni cogitationem facile suscitat. Sed de firma et sublimi regni sede ante in regno Judæ posita ut cogitemus, facit adscensus et recubationis post actam prædam mentio; quo ad leonis lustrum in montano situm manifeste ducimur; ex quibus evidenter apparet, epocham hujus periodi regni Judæ in eo tempore esse figendam, quo David, totius populi Israelitici rex factus, Hierosolyma occupavit & in monte Zionis regni sedem collocavit". Ex quibus omnibus igitur patet, in comparatione Judæ hl. cum leone neque de principatu aliquo hujus tribus in itinere per desertum (cfr. Num. 2, 3—9. 10, 14), neque de bellis Israelitarum in occupatione Canaanis sub auspiciis Judæ feliciter gestis (cfr. Jud. 1, 1. 2, 4 sq. 3, 9. 10 cet.) esse cogitandum, ut volunt Aurivillius, Teller, Herder aliique; illud enim imperium, quod dicunt tribum Judæ istis temporibus exercuise, nullius

erat momenti, immo, si quid unquam fuerit, periodis sequentibus, scil. judicum et Saulis ad alias transiit tribus. Primum vero cum Davide regnum atque imperium tribus Judæ obtinuit. — Post nonnullos Rabinorum, Aben Esra, Chizkuni, Bar Nachman etc. Herder [1]) tribum Judæ totum Israelitarum exercitum cum vexillo imagine leonis ornato antecessisse vult et hoc modo ad comparationem poetæ nostri respectum habuisse, sed in Num. 2, 1 — 31, ubi vexilla quatuor tribuum, Judæ scilicet, Rubenis, Ephraimi, Danis commemorantur, nec de leonis insigni nec de alio omnino emblemate sermo est; traditio vero Judæorum omnibus testimoniis historicis destituta nulla fide digna habenda est. In universum autem comparationes cum animalibus omnium populorum antiquissimorum poetis familiares sunt, quod non mirandum, cum tales imagines et symbolico simplicique stylo, quo utuntur, et characteri vitæque Nomadum egregie conveniunt. Autor etiam nostri carminis singulas tribus cum animalibus amat comparare, sic Danem cum serpente, Benjamin cum lupo, Isacharem cum asino, Naphtalim cum cervo, Judam vero cum leone confert. Pariter hodie Indorum poetæ

---

1) Vom Geist der ebr. Poesie 2 Th. p. 188. Cfr. Bocharti Hieroz. p. 773—774. Cfr. Aben Esra in Num. 11, 3: „antecessores nostri dixerunt fuisse in Rubenis vexillo figuram hominis juxta vim symbolicam mandragorarum, et in vexillo Judæ figuram leonis, quia illum Jacob cum leone comparavit, et in vexillo Ephraim figuram bovis, quia dicitur (Deutr. 33, 17 de Josepho, patre Ephraimi): primogeniti bovis illius decor est ei, et in vexillo Dan figuram aquilæ, ut similis sit Cherubinis, quos vidit Ezechiel propheta".

imagines solent petere a lupo, tigri, tauro, elephanto, leone, serpente, immo ipsæ horum animalium appellationes honorificæ sunt[1]). — Denique observandum, **versum nonum** sæpius, sed non feliciter imitatos esse seriores autores, cfr. Deutr. 33, 22, ubi primum nostri loci membrum de **Dane** dicitur; Num. 23, 24, ubi secundum ad **totum Israelem** refertur; in Deutr. 33, 20 tertium parum mutatum de **Gado** adhibetur; Num. 24, 9 (cfr. Job. 41, 1) quartum membrum de **toto populo** usurpatur. **Duo** autem **ultima membra** interpretes vario cum successu reddiderunt: LXX *ἀναπεσὼν ἐκοιμήθης ὡς λέων, καὶ ὡς σκύμνος, τίς ἐγερεῖ αὐτόν*; **Vulg.** „requiescens accubuisti ut leo et quasi leæna: quis suscitabit eum?" **Syrus** sequitur LXX: ܟܪܥ ܘܪܒܥ ܐܝܟ ܐܪܝܐ ܘܐܝܟ ܓܘܪܝܐ ܕܐܪܝܐ ܘܡܢܘ ܢܩܝܡܝܘܗܝ „genu flexit et accubuit ceu leo et ut catulus leonis, et quis exci-

---

1) Cfr. Schol. ad Naloday 3, 1. Cfr. **Herderi** Briefe das Studium der Theol. betreff. 1 Th. p. 59: „**Bilder der Thiere** schildern am meisten den Charakter, die Naturart, die ausgezeichnete Bestandheit eines einzelnen Wesens; wohin gehörten solche Bilder also eigentlicher, als in diese große und ewige Stammtafel des Schicksals der Geschlechte? **Juda** als **Löwe**, **Dan** als **Schlange**, **Benjamin** als **Wolf**, **Isaschar** als ein ruhiges, umherblickendes **Lastthier**, sind mehr gemahlt, als durch viel Geschwätz in abstracten Worten, die meistens nur flüchtige Blüthen der Zeit sind, mit der sie sich, dem Daseyn und der Bedeutung nach, ändern. Der **Character der Thiere bleibt derselbe**, und die Schilderung durch sie ist überdem ganz in der Sprache, dem Blick, dem Leben des Hirten und Patriarchen. Er hatte keine andern Bilder der Vergleichung in seiner Seele, keine andere Worte auf seiner Zunge; sein Segen wird ein Testament in **sinnlichen Charakteren**".

tabit eum?" **Arabs in Polyglottis:** اذا جثم وربض كاسد ولبوة من ذا يقيمه „cum cubaverit et jacuerit, veluti leo et leæna, quis est qui suscitet eum?" **Onkelos** hl. textum hebraicum accuratius, quam solet, reddit: ינוח ישרי בתקוף כאריא וכליתא לית־מלכו דתזעזעניה „requiescet et habitabit in fortitudine quasi leo et quasi leæna[1]), non erit regnum, quod commoveat eum". Similiter **Jonathan:** ניית ושרי בתקוף הא כאריא והי כליתא דכד נח מן יקימיניה „quiescens et habitans in fortitudine sicut leo et sicut leæna, qui quando quiescit, quis surgere faciet eum?" et **Hierosolymitanus**, qui omnia refert ad firmum et intrepidum animum in medio proelio probatum: נית ושרי בגו קרבא היך אריא והיך אריותא ולית אומא ומלכו דתקום לקובלך „tranquillus et manens in medio proelio quemadmodum leo et leæna, nec est populus aut regnum, quod possit stare contra te". Bene **Lutherus:** „er hat niedergekniet und sich gelagert wie ein Löwe und wie eine Löwin, wer will sich wider ihn auflehnen?" etc. etc.

Versus hic, ad quem interpretandum nos jam 10
accingimus, ab antiquissimis temporibus mirum in modum vexatus, in exegesi V. T. fama difficultatis vix superandæ inclaruit. Certe in toto sacro codice haud facile locum invenies, qui tot molestias atque labores creaverit interpretibus, et tanta explicationum exstitit copia ut omnem computationem confundat: quot enim homines, tot sententiæ. Jam vero, ne ob incredibilem pæne diversissi-

---

1) **Buxtorfius** in Lex. Chald. Talm. p. 1142 כליתא vertit: „sicut vetus leo", sine dubio minus recte; saltem interpres **Hierosolymitanus** pro rariori ליתא posuit אריותא, quod semper **leænam** significat, cfr. Buxtorf Lex. Chald. etc. p. 211.

marum interpretationum multitudinem perturbemur plane et a consilio, quod nobis proposuimus, distrahamur, illam, quæ nobis præ ceteris omnibus placet, explicationem, argumentis quibus possimus optimis confirmatam, primum absolvamus, commentarium nostrum in illam benedictionis Jacobi partem, quam hîc tractandam nobis elegimus, continuando, quo ad finem usque perducto, ceteras hujus versus varias interpretationes, quantum fieri potest, accurate enumerabimus, explorabimus, dijudicabimus. — Versionem hanc præmittimus:

Non recedet sceptrum a Juda,
Et scipio, imperii insigne, a pedibus ejus,
Donec venerit Schilo, rex pacificus,
Et illi obedientia nationum erit.

לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה Quod hucusque poetice per imagines et quasi per ambages innuerat autor, jam clare et luculenter enunciat, delarans scilicet, regiam dignitatem ac potestatem, quam regnante Davide in tot tantisque bellis fortiter vindicaverit tribus Judæ, nunquam ab ea amittendam et ad aliam tribum transituram esse, immo in ipsa pace conservandam et augendam esse. שֵׁבֶט hl. esse sceptrum regium, regiæ potestatis insigne, certum habemus, immo nil aliud hl. posse significare arbitramur, nisi contextui vim inferre et a scopo, qui autori propositus fuit, omnino discedere volueris. Proprie et frequentissime in universum notat baculum (a radice inusitata שָׁבַט quam fulciendi potestatem habuisse Gesenius suspicatur, cfr. gr. σκῆπτρον a σκήπτειν) s. virgam, hinc spec. de virga pastoris, pedo s. baculo incurvo, quo pastores ad pecora regenda et agenda usi sunt, adhibetur, cfr. Lev. 27, 32. Ps. 23, 4. Mich. 7, 14, unde ad sceptrum regium, quod dominationis

et potestatis insigne et symbolum manu gestare solebant principes et reges, transfertur, cfr. Num. 24, 17 קם שבט מישראל „surget sceptrum ex Israele", quo rex venturus innuitur; Am. 1, 5 תומך שבט מבית עדן „qui tenet sceptrum" ɔ: rex, princeps, cfr. Homericum σκηπτοῦχος βασιλεύς (Iliad. 1, 279); Ps. 45, 7 שבט מלכותך „sceptrum regni tui"; Es. 14, 5 שבט משלים „sceptrum dominatorum", cfr. vocem recentioris originis שרביט = שבט (immissa lit. ר)[1] Esth. 4, 11. 5, 2. 8, 4. In nonnullis hisce locis שבט sensu metaphorico de ipso imperio poni, non opus est ut multis ostendamus; eodem modo Græcis [2]) σκῆπτρον, Latinis [3]) sceptrum sæpissime usurpatur, immo in omnibus linguis nil frequentius hac figura. Etiam hl. sensus metaphoricus sine dubio latet; sed minus recte imperium a nonnullis vertitur, quod neque ob verbum יָסוּר, neque ob vocem parallelam in sequenti membro licere putamus. Vertimus ideo: „sceptrum" etc. quo vividius et graphice sensus autoris exprimitur. Antiquæ versiones sceptrum regium intellexerunt, quam notionem varie expresserunt; plerique etiam recentiorum „sceptrum" quidem reddunt, sed significationem ejus pro consilio suo dilatant (de quibus infra). — סור sensu improprio de rebus

---

1) Cfr. Gesenii Lehrgeb. p. 863 sq. 2) Ex. gr. apud Euripidem (Orest. v. 1058 sq.):

. . . . ἀλλ' ἐπὶ σκήπτροις ἔχων
Τὴν ἐλπίδ' . . . .

ɔ: „sed sperans se regno potiturum" etc. 3) Apud Virgilium (Æneid. lib .1 v. 257) . . . . „sic nos in sceptra reponis?" Cfr. Ovid. (Metam. lib. 6, 677): „sceptra loci rerumque capit moderamen Erectheus". (Metam. lib. 15, 585) . . . . „sceptro tutus potiere perenni". Apud Senecam (Oedip. v. 705): „qui sceptra duro sævus imperio regit".

sæpissime occurrit, quæ recedere dicuntur, quando auferuntur, cessant, evanescunt, sic de spiritu Dei 1 Sam. 16, 4; de robore Jud. 16, 17; de ratione humana Prov. 11, 22; de rebus excelsis 1 Reg. 15, 14 הַבָּמוֹת לֹא־סָרוּ ɔ: „colles non auferebantur", cfr. 2 Reg. 12, 4. 14, 4, quo sensu cum מִן plerumque construitur, sed etiam absolute ponitur, cfr. phrasin nostræ simillimam apud Zach. 10, 11: שֵׁבֶט מִצְרַיִם יָסוּר „sceptrum Ægypti recedet" ɔ: tolletur, auferetur dominium Ægypti, ut habet Jonathan: שׁוּלְטָן מִצְרַיִם יַעְדֵּי „dominatus Ægypti auferetur", et Syrus: ܡܫܠܛܢܘܬܗ ܕܡܨܪܝܢ ܢܥܒܪ „dominium Ægypti deficiet". Nostro loco igitur sensus per se perspicuus est. — יְהוּדָה hl. esse intelligendum de tribu Judæ, nemo facile negabit. Sensus igitur hic erit: tribus Judæ nunquam dignitatem regiam amittet sive quod idem est, domus Davidis, ex hac tribu oriunda, nunquam sceptro regio privabitur, sed per omnes generationes tute illud conservabit. Quæ læta spes auctoris in sequenti membro, verbis parellelis, modo poetico exprimitur:

וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו. Ad hæcce verba ex antecedentibus subintelligenda esse לֹא־יָסוּר per se liquet. מְחֹקֵק præter hunc locum sexies tantum in V. T. reperitur; de vi ejus interpretes inter se discrepant. Plerique reddunt: „legislator", quod iterum varie explicant. Fatemur, significationem legislatoris in nonnullis locis admittendam esse, sed minime in omnibus; sunt enim, in quibus notio sceptri jure præferenda videatur. Quamobrem haud superfluum putamus, accuratius in vim hujus vocis inquirere. Radix ejus est חָקַק == חָקָה, arab. هقّ et هقهق. a) cecìdit, incìdit, excìdit (cfr. هكّ et هكهك id.), ex. gr. Es. 22, 16 de sepulcro, quod in petram inciditur,

Es. 30, 8 de literis et figuris tabulæ vel libro inscribendis כתבה על־לוח אתם ועל־ספר חקה, cfr. Ez. 4, 1 „tu, o homo! sume tibi laterem eumque coram te colloca, וחקות עליה עיר את־ירושלם et in eo sculpe urbem Hierosolyma". b) delineavit, pinxit, ut Ez. 23, 14, tropice Es. 49, 16 „in manibus te delineavi s. pinxi" ɔ: curavi, ut tui nunquam oblivisceerer[1]) על־כפים חקתיך; hinc c) desripsit, definivit, cfr. Prov. 8, 27[2]) בחקו חוג על־פני תהום „cum describeret (Deus) hemisphærium coeli super faciem abyssi", unde d) decernendi, statuendi prodit notio, cfr. Es. 10, 1 הוי החקקים חקקי־און „væ illis qui decreta iniquitatis decernunt!" verba enim secandi, sculpendi, scribendi significationem etiam habent decernendi, leges ferendi, quum ipsos legislatores leges suas scripsisse constet[3]); hinc part. חֹקֵק Jud. 5, 9 = שֹׁפֵט judex, legislator. Derivata hujus radicis חֵקֶק, חֻקָּה et præsertim חֹק sæpissime de decretis occurrunt (cfr. Ps. 2, 7), legibus, statutis et præscriptis Gen. 47, 26. Ex. 12, 24 etc. Forma Poel eadem decernendi notione gaudet, cfr. Prov. 8, 15 רזנים יחוקקו צדק „principes (per me ɔ: sapientiam) decernunt jus". Ex hac igitur verbi frequentissima significatione decernendi, leges ferendi, factum est, ut plerique interpretum vocem מְחֹקֵק part. Poel in omnibus, ubi occurrit, locis exponant: decernens, statuens, et substantive: legislator, *νομοθέτης*. Sic Rosenmüller, Aurivillius, Winer[4]) et omnes fere antiquiores. Sed ex septem illis, in quibus

---

1) Cfr. Gesen. ad Es. 44 5. 2) Schultens. hl. præter necessitatem חֻקּוֹ refert ad rad. חוק, arab. حلق cingere, sinuare.
3) Cfr. Simonis Arcan. Form. Hebr. p. 37, 66, 70, 119.
4) Lexic. Manual. Hebr. & Chald. Lips. 1828, p. 357.

exstat מְחֹקֵק, locis, modo tres notionem legislatoris certam admittunt et indubitatam, scilicet a) Deutr. 33, 21; hic de tribu Gad Moses dicit: „prospexit s. selegit sibi primam terram (ab Israelitis occupatam, regionem Sichonis et Ogis), eo quod ibi, nempe in portione legislatoris (in portione a Mose sibi assignata, cfr. Num. 32, 33; Josv. 1, 13. 14) protectus, securus fuit“ (cum Rosenmüllero hunc in modum ספון explicamus), hebr. וירא ראשית לו כי־שם חלקת מחקק ספון. b) Es. 33, 22, ubi ob nexum מחקק de legislatore explicetur necesse est: יהוה שפטנו יהוה מחקקנו יהוה מלכנו הוא יושיענו. c) Denique Jud. 5, 14 in cantico Deboræ exstant: מני מכיר ירדו מחקקים, ubi per מחקקים duces, principes = שרים in v. 15 notantur. Sed in quatuor reliquis locis notio sceptri aptior scilicet et simplicior retinenda videtur. Adspice primum a) Num. 21, 18, ubi hæc occurrunt verba באר חפרוה שרים כרוה נדיבי העם במחקק במשענתם, quæ, multis præeuntibus, hoc modo exposuit Rosenmüller [1]): „puteus (est quem) foderunt principes, (quem) excavarunt nobiles populi cum legislatore, cum scipionibus suis“, ב ante מחקק interpretatus ut Num. 20, 20, et מחקק de ipso Mose, sed longe melius et facilius hic de sceptro illo imperatorio cogitari, quod in bello duces, in pace judices gestare solebant, non dubitamus contendere, ita ut מחקק synonymum sit sequenti משענת baculo, scipioni, quo præterea diversus ille præpositionis ב in duobus juxta se positis vocabulis usus evitatur; itaque sensus hic erit: principes populum, sceptro baculisque, autoritatis suæ insignibus, ad puteum fodiendum impulisse. In b) Ps. 60, 9 et c) Ps.

---

1) Cfr. Scholia in Pentat. in comp. redacta. Lips. 1828, p. 650.

108, 9 notio sceptri perspicua est; in utroque enim loco Davides ita loquens introducitur: אֶפְרַיִם מָעוֹז רֹאשִׁי יְהוּדָה מְחֹקְקִי „Ephraim munimentum capitis mei (ɔ: galea mea), Juda sceptrum meum", additurque in v. 10 (utriusque psalmi): „Moab olla lotionis meæ (ɔ: serviet mihi pro vilissimo mancipio), super Edom projicio calceum meum" etc. In hoc nexu, inter mera symbola et imagines, versio legislatoris frigida esset, immo absurda. — Jam si ad nostrum locum nos convertimus, patebit, ut speramus, מְחֹקֵק non solum posse, sed etiam debere de sceptro s. scipione imperatoris vel regis explicari. Autorem in toto hocce carmine, quod vulgo vaticinium Jacobi appellatur, parallelismum membrorum accuratissime observasse, ita ut singula verba in singulis membris sibi invicem respondeant, facile deprehenditur. Hoc vero loco, si notionem legislatoris retinemus, parallelismus necessario perturbabitur et prosaicus frigidusque prodibit sensus, quod sine necessitate minime admitti debet. Huc porro accedit, quod hæc significatio nullo modo probabili cum proxime sequentibus conjungi potest; qui hoc conantur, in difficultates incurrunt inextricabiles. Quomodo enim מִבֵּין רַגְלָיו in nexu cum antecedentibus exponenda sunt? Quid sibi vult hæc phrasis: non recedet legislator e medio pedum ejus (ɔ: Judæ)? Permulti מבין רגליו κατ' εὐφημίαν genitalia significare putant, et „legislatorem e medio pedum ejus" nil aliud esse quam simpliciter legislatorem, qui ab eo nasciturus sit, quam interpretationem ut comprobent, varios ad locos, in quibus רגל hoc sensu adesse putatur, provocant, ex. gr. Es. 7, 20, ubi שער הרגלים „crines pedum" = pudenda; Ez. 16, 25, ubi hæc verba Dei ad populum Israeliticum, qui sub imagine

mulieris adulteræ in scenam producitur, afferuntur: ותפשקי את־רגליך לכל־עובר „expandisti, divaricasti pedes tuos omni transeunti“ ɔ: adulterium commisisti, te vitiandam cuique tradidisti, sed in hisce locis רגלים nonnisi physicum propriumque **pedis** significatum habere et absolute de pudendis minime posse intelligi nemo non videbit. Nec melius citant 2 **Reg.** 18, 27 et **Es.** 36, 12, ubi pro שיניהם Masorethæ honestatis causa legi jubent מימי רגליהם „**aquæ pedum suorum**“ ɔ: urina, quomodo etiam **Jonathan** exposuit: מימי רגלינון [1]), ut Syr. ܡܝ̈ܐ ܕܪ̈ܓܠܐ [2]) et simpliciter ܡܝ̈ܐ [3]), quæ exempla nil probant. Majori jure **Deutr.** 28, 57 ad istam interpretationem defendendam solet citari, cum hic tota illa phrasis מבין רגלים de partu occurrat hoc nexu: שליתה היוצת מבין רגליה „**secundinæ quæ exeunt ex eo, quod inter pedes ejus sunt**“ [4]), cui loco alii adjunguntur, in quibus simili phrasi soboles alicujus ex **femore** ejus **exire** dicitur, ut Gen. 46, 26 יצאי ירכו de omnibus a Jacobo vel genitis vel ab eo per filios oriundis, cfr. Ex. 1, 5, sive ex **lumbis** alicujus, ut Gen. 35, 11 מלכים מחלציך יצאו ɔ: „reges ex stirpe tua prodibunt“, cfr. 1 Reg. 8, 19, sive e **visceribus** alicujus, ut Gen. 15, 4 אשר יצא ממעיך (LXX simpliciter *ὁς ἐξελεύσεται ἐκ σȣ*). Quod vero ad **Deutr.** 28, 57 attinet, aliter hîc cohæret sensus, ut recte observat **Aurivillius**, aliusqve exhibetur construendi modus; nam non solum verbum יצא huic sensui

---

1) Cfr. Buxtorfii lex. Chald. Talm. p. 2382 ad rad. שין. 2) Assemanni Bibl. Orient. II. p. 422. 3) Barhebr. Chron. p. 139. 4) Gesenius (in Lex. Manual. p. 141) ad **Deutr.** 28, 57 citat ex **Iliad.** 19, 110:

ὅς κεν ἐπ' ἤματι τῷδε πέσῃ μετὰ ποσσὶ γυναικός.

exprimendo aptissimum præcedit, verum etiam de femina, in quam hæcce locutio bene quadrat, sermo est. Ceteræ phrases locum nostrum non melius illustrant; per se claræ sunt et perspicuæ, nullo vocabulo omisso, quum e contrario in nostro loco dura verborum ellipsis admittenda esset pro ומחקק אשר יצא מבין רגליו, nisi a propria τε יסור notione, qua in primo membro absque omni dubio gaudet, in secundo plane recesseris. Hisce aliisque incommodis obstantibus, ista interpretatio nihilotamenminus multis doctissimisque placuit viris, qui hunc loci nostri sensum constituunt: nunquam inter Judæ posteros defuturos esse principes, dignitate et autoritate conspicuos, qui rebus administrandis et in bello et in pace idonei sint. Ipse Gesenius phrasin nostram: „a sobole ejus" vertit, centendens מבין רגליו idem valere quod ממעיו, מפרי בטנו, מזרעו, nullis vero argumentis additis. Ex antiquioribus LXX hoc modo locum nostrum acceperunt, duo prima membra sic reddentes: *οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰεδα, καὶ ἡγεμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτε* (cfr. Gen. 35, 11); eos Vulgatus sequitur: „non auferetur sceptrum de Juda & dux de femore ejus". Similiter Chaldæi; Onkelos, qui עד sequens cum membro secundo conjungit, vertit: לא־יעדי עבד שולטן מדבית יהודה וספרא מבני־בנוהי עד־עלמא ɔ: „non auferetur habens principatum a domo Judæ, nec scriba a filiis filiorum ejus usque in seculum". Jonathan: לא פסקין מלכין ושליטין מדבית יהודה וספרין מאלפי אורייתא מזרעיה ɔ: „non cessabunt reges et præsides ex domo Judæ et scribæ docentes legem ex semine ejus". Hierosolymitanus: לא פסקין מלכין מדבית יהודה אף לא ספרין מלפי אוריתא מבני בנוי „non deficient reges de domo Judæ

neque periti doctores legis de filiis filiorum ejus", eodem modo Vater: „an Herschern seiner Abkunft fehlt es nimmer", et Teller [1]): „auch wird das Scepter bey Juda bleiben, und nie ein Anführer aus seinem Geschlecht mangeln" [2]), et alii. — Difficultatibus, quibus illa τῶν מבין רגליו expositio laborat, bene intellectis, post Vriemot [3]) multi ut J. A. Ernesti [4]), Aurivillius [5]), Hufnagel [6]) etc. phrasin hanc a simplici מִמֶּנּוּ „ab ipso" haud differre volunt, ut τῷ מיהודה in primo membro omnino respondeat (cfr. Aurivillii versionem: „non auferetur imperium a Juda & legislator ab ipso", et Hufnagelii: „es weicht von Juda nicht der Führerstab, der Führerstab er weichet nicht von ihm"). „Etenim", inquit Ernesti, „Hebræorum mos est, homines exprimere per partes corporis, quarum qualiscunque sit conjunctio cum re ea, quæ iis tribuitur; idque cum faciunt, nihil de istis partibus cogitant, sed totam personam animo contuentur". Plurima deinde ipse et Aurivillius cumulant exempla hujus loquendi rationis, qua nomina membrorum pro toto homine ponuntur; ex quibus nonnulla hic afferemus, ut vim argumentorum ab illis prolatorum melius dijudicare valeamus simulque diversitatem phrases illas inter et nostram animadvertamus. Ex V. T. afferuntur: יד

---

1) Uebersetzung des Seegen Jacobs etc. In Notis Critt. etc. hanc explicationem repudiat. vide infra. 2) Cfr. Noldium in notis ad concordantt. Particular. No. 1727 p. 917 ed. Tymp. 3) Dissert. de Schilo. Ultraject. 1722. 4) Opuscul. Philolog. & Crit. Lugdun. Bat. 1776 p. 173 sqq. 5) Dissertatt. etc. p. 255 sqq. 6) Was ist Schilo im Vater-Segen Jacobs? in Repert. für biblische und morgenländische Litteratur 14ter Th. p. 235—251.

manus, ex. gr. 1 Sam. 21, 14 „dementem se simulabat" בידם ɔ: in conspectu eorum ɔ: coram illis; 1 Sam. 22, 17 ידם עם־דוד ɔ: ipsi a partibus Davidis stant; 2 Reg. 17, 13 ביד כל־נביאים ɔ: per omnes prophetas; Job. 4, 3 ידים רפות תחזק ɔ: debiles corroborasti. Job. 15, 23 „novit כי־נכון בידו יום חשך ei instare diem tenebricosum" (cfr. χεὶρ in N. T. ut Act. 4, 28. 5, 12. 7, 35 etc.). פה os, ut Josv. 1, 8 „non recedet liber hujus legis מפיך ɔ: a te", cfr. Es. 11, 4 etc. פנים vultus, facies, ut Gen. 19, 21 נשאתי פניך ɔ: tui rationem habui; 2 Sam. 17, 11 פניך הלכים בקרב ɔ: tu ipse vadis in proelium etc. Job. 11, 19 חלו פניך רבים ɔ: multi tibi adulantur, cfr. Ps. 42, 12 etc. ראש caput, ex. gr. 2 Reg. 2, 3 הידעת כי היום יהוה לקח את־אדניך מעל ראשך ɔ: „num scis, Jehovam hodie dominum tuum a te ablaturum"; Ps. 7, 17 ישוב עמלו בראשו ɔ: revertetur sub ipsum ærumna ejus, etc. שד mamma, uber, ut Hos. 2, 4, quo maxime nostrum locum illustrari putant, quum eadem illic adsit constructio; dicitur enim .... תסר נאפופיה מבין שדיה „removebit adulteria sua e medio mammarum suarum" ɔ: ab ipsa. Similiter ex lingua Latina exempla ejusdem formulæ dicendi citantur, ex. gr. caput, cor, pectus etc. quæ sæpissime pro toto corpore vel tota persona sumuntur[1]). Denique ipsum רגל, de quo hic agimus, eodem sensu usurpatum contendunt, cfr. Gen. 30, 30 „benedixit tibi Deus לרגלי ɔ: per me" (potius tamen: ex quo pedem domum tuam intuli), Ex. 11, 8, העם אשר־ברגליך ɔ: populus te secutus, cfr. Jud. 8, 5; 1 Sam. 25, 27; 1 Reg. 20, 10. Ps. 8, 7 כל שתה תחת־רגליו ɔ: „omnia ipsi subjecit"; Ps. 119.

---

1) Cfr Ernest. et Aurivill. in libb. citt.

59 אשיבה רגלי אל־עדתיך o: me converto ad præcepta tua, v. 105 נר־לרגלי דברך o: mihi lucerna est verbum tuum, cfr. Es. 41, 2 etc. „Eundem in modum", ait Aurivillius, „redundare deprehenditur cum Græcorum πῦς, cujus rei exempla cumulantur plurima apud laudatum supra Ernesti & Christ. Schoetgenium[1]), cum Latinorum pes, adeo ut locutiones: sub pedibus, ante vel circum pedes alicujus, nonnisi sub aliquo, ante vel circum aliquem, simpliciter sæpenumero denotent; quemadmodum: servum abducere a legatorum pedibus, ut est apud Ciceronem[2]), unice exprimit: a legatis". Ad postremum putant, præpositionem בין hic, ut alibi, ex. gr. Ps. 104, 12. Es. 44, 4 etc. non id notare, quod æqualiter ab extremis distat, ut vulgo exponunt, sed simplicem rei præsentiam, ut sæpe intelligitur Græcorum μέσον, Latinorum medium, ex quibus omnibus colligunt, istam Hebræorum loquendi formulam סור מבין רגלים, „omni argutatione vitata et sine peculiari aliqua vi in verbo pedum intelligenda, nil exprimere amplius, quam Græcorum ἐκ ποδῶν ἀπέρχεσθαι[3]), ἐκ τῶν ποδῶν ἀποχωρεισθαι[4]), ἐκ ποδῶν γίνεσθαι, e conspectu discedere, ἐκ ποδῶν ποιεῖσθαι, tollere, amovere, et Latinorum: e medio discedere vel simpliciter abire". — Hisce autem jure opponuntur: a) exempla illa ex V. T. petita, ad quæ provocant doctissimi illi viri, phrasi nostræ minime consona sunt nullamque analogiam nobis præbent, cum longe alia sit eorum constructio et sensum per se evidentem et manifestum exhibeant. Ut de uno

1) Cfr. Nov. Lex. Græco-Lat. N. T. auct. a Krebs. Lips. 1765, p. 548. 2) Orat. pro rege Dejotaro c. 1. 3) Sympos. Zenophont. C. 4. § 51. 4) Theage Plat. T. 1. p. 123 A.

exemplo agamus, בין ידים inter manus (cfr. Zach. 13, 6) idem quidem significat ac Arabum بين يدين et من بين يدين ɔ: quod ante aliquem est vel præcedit, ut Medhurst [1]) multis ostendit (ex. gr. Cor. 34 com. 42 [2]), ubi de Mohammede dicitur: „ille non est nisi monitor بين يدى عذاب شديد ante supplicium terribile" etc.), sed, optime v. Bohlen observante, aliud est inter manus, cum aliquid possessionis instar teneamus et quasi ante nos habeamus, aliud de medio pedum, quo remotio indicatur; in מבין enim מ ob יסור minime abundat, nec מבין idem est ac מן, ut vult Hufnagel. מבין est e medio s. de medio rerum duarum (Gesenius: zwischen (etwas) weg, zwischen hervor, cfr. Gall. d'entre), ex. gr. Zach. 6, 1 duo currus exeuntes מבין שני ההרים e medio duorum montium; Ps. 104, 12 edunt aves vocem מבין עפאים e mediis frondibus; Jer. 48, 45 מבין סיחון ellipt. pro e medio regno Sichonis. Deutr. 28, 57 (vide supra p. 34) מבין רגליה ɔ: e vulva, ex utero, quibus exemplis diversitas nostram formulam inter et supra laudatas satis probatur. b) Exempla ex lingua Græca et Latina petita eadem de causa qua Hebræa hic nil faciunt ad nostram locutionem illustrandam[3]), etiam si ex analogia diversissimarum linguarum certum aliquid deducere liceret, quod cum v. Bohlen non admittimus. — Alii [4]) ad illos V. T. locos,

---

1) Conjectura de verbis Vaticinii Jacobi Gen. 49, 10 in Bibl. Hagan. Clas. II. Fasc. 2. p. 306. 2) Juxta ed. Hinckelmanni, cfr. Schultens Opp. min. p. 29. 30, id. ad Job. p. 391. 3) Cfr. Gesen. in Thesaur. sub בין. 4) Cfr. Valandi dissert. prætor e medio Judæ ante Messiæ imperium universale non abcessurus, ad Gen. 49, 10 in Thesaur. theol. philolog. Amstelodam. 1701. Vol. I. p. 267.

in quibus imperium vel dominium et subjectio pedum mentione circumscribitur, ut Ps. 8, 7, Ps. 110, 2, respicientes per מִבֵּין רַגְלָיו putant hl. significari dominium Judæ; ita Arabs Polygl., qui duo membra priora vertit: لا يزول القضيب من يهوذا والرسم من بين أسره „non præteribit virga de Juda et legislator de sub imperio ejus". Similiter G. A. Teller [1]) pedes hl. imperium notare vult, et non recedere a pedibus alicujus idem esse ac constanter ductum alicujus sequi, quod quam contortum sit, non opus est ut doceamus. — Alii porro רֶגֶל sensu accipiunt metaphorico de gressu, incessu, cfr. Gen. 33, 14 לְרֶגֶל הַמְּלָאכָה pro ratione incessus pecoris ɔ: prouti grex progedi valet (unde רְגָלִים pl. ictus pedis, vices ut פְּעָמִים Ex. 23, 14. Num. 22, 28); ex illis J. G. Herder [2]) sic vertit: nie wird der Führerstab von Judah weichen, nie weicht der Heldenstab von seinen Zügen. — Nonnulli denique, inter quos Ewald [3]), מִבֵּין רַגְלָיו interpretantur: de medio peditum ejus (aus der Mitte seiner Fußvölker), quo sensu רַגְלִים (a sing. רַגְלִי pedes) Jer. 12, 5; cfr. Ex. 12, 37, Num. 11, 21 occurrit (cfr. arab. رَاجِلٌ رَجِلٌ id. cogn. رَجُلٌ vir, syr. ܪܓܠܐ). Eundem sensum ut exprimeret Samaritanus, in textu suo posuit ࠃࠂࠋࠉࠅ דִּגְלָיו a ࠃࠂࠋ דֶּגֶל vexillum, signum militare pro ࠓࠂࠋࠉࠅ רגליו, igitur: de medio vexillorum ejus, quæ lectio in

---

1) In Nott. Critt. etc. 2) Vom Geist der hebr. Poesie 2 Th. p. 185: „das Wort מחקק", ait, „correspondirt mit שבט, so wie das רגליו mit יהודה correspondiren muß, welches also nach dem Verfolg des Bildes nichts anders seyn kann, als der Gang, der Tritt, der Zug Judah". 3) Kritische Grammatik der hebr. Sprache p. 615.

ersione Samaritana magis perspicue exponitur [Samaritan script] ɔ: dux de ordinibus ejus fra hans Række, Geledder)[1]). Post Samaritanum Job. udolphus[2]), Clericus, Houbigantus, Teller, l. lectionem דגליו præferunt eamque in textum recipi ubent. Eos porro Friedrich in versione sua sequitur: icht weicht der Herrscherstab von Juda, der König seinen Schaaren nicht. Sed, omnibus codicibus obstantibus, ulla præterea necessitate cogente, lectio Hebræa arbiraric mutatur, ne de aliis loquamur incommodis, quibus remitur illa explicatio[3]). — Omnibus igitur hisce inerpretationibus repudiatis, membrum secundum simpliiter vertimus: scipio, insigne imperii, (non reedet) e medio pedum Judæ ɔ: semper inter edes ipsius versabitur. Hujus vero locutionis ensum ut recte intelligamus, ad modum illum, quo antiquissimorum temporum reges et principes sceptrum estare solebant, respiciatur necesse est. Sceptra enim hylarchorum, præcipue inter nomades, admodum longa uisse (sine dubio ad instar virgarum, quibus usi sunt astores), immo viri staturam superasse videntur, quo

---

1) Castellus in lexico suo [Samaritan script] מדר male explicat pedem, sine dubio ratione habita ad textum Hebræum, etsi ignorare non potuit, in versione Samaritana non Hebræum, sed Samaritanum exponi textum; radix vero Samaritana [Samaritan script] disponere & ordinare notat, in specie aciem vel bellum, cfr. Num. 20, 13. Deutr. 2, 24. 2) Cfr. ejus dissert. dux Judæorum sublatus Gen. 49, 10 in Thes. Nov. theol. phil. T. I. p. 228. 3) Cfr. Diecmanni dissert. de legislatore a medio pedum Judæ ante adv. Christi non recedente in Thes. Nov. theol. phil. Tom. I.

factum est, ut, si vel in tribunali vel in throno sederet princeps, sceptrum inter pedes ipsius teneret collocatum. Quod ita fuisse monumenta Persepoli reperta nonnullæque Græcorum res antiquæ satis testantur; in hisce enim reges in thronis sedentes, longum baculum s. σκῆπτρον inter pedes habentes depicti conspiciuntur[1]). Apud nationes bellicosas postea rex pro baculo hastam gestabat; ejusmodi sceptrum Agamemnonis fuit, quod Chæroneæ vidit Pausanias[2]). Hunc morem etiam Hebræis fuisse, non est cur dubitemus; rex enim Israelitarum in alta sella, velo pensili cooperta, כִּסֵּא, pedibus in scabello הֲדֹם collocatis, manu longam hastam חֲנִית ad vel inter pedes humi positam gerens, sedere solebat, cfr. 1 Sam. 18, 10 sqq. ubi traditur rex Saulus, subito correptus furore, istam hastam in Davidem conjecisse. Nihil igitur obstare putamus, quominus מחקק de scipione illo sive longa hasta, regiæ dignitatis symbolo, exponamus, quem reges ex stirpe Judæ oriundos inter pedes suos semper habituros esse sperat poeta. Cujus interpretationis simplicissimæ, qua et parallelismo egregie consulitur et omnes evitantur difficultates, autor est J. G. Herder, qui in manuscripto libri sæpenumero laudati[3]) duo prima v. 10 membra hoc modo verterat: „nie wird der Herrscherstab von Juda weichen, stets steht der Führerstab ihm zwischen Füßen," quam versionem optimam, ab ipso autore postea repudiatam, secuti sunt

1) Cfr. Iliad. I. v. 245. Böttiger Vasengemälde II. p. 119. Feithii antiquitates Homericæ L. II. c. 4. p. 162. 2) Cfr. v. Bohlen: Genesis etc. p. 462. 3) Cfr. vom Geist der Ebr. Poesie. Tübing. 1783. II P. p. 186.

J. E. C. Schmidt[1]), C. G. Justi[2]), Schumann[3]), v. Bohlen[4]). — Suffixum in רַגְלָיו ad יְהוּדָה, qui ipse rex in throno sedens fingitur, referendum esse nexus directe postulat. Tanto magis mirandum est, Deylingium[5]) Rom. Tellerum[6]), Venemam[7]) aliosque מִבֵּין רַגְלָיו ad leonem cubantem, in v. 9 commemoratum, duxisse, ac si leonem in lustro quiescentem sceptrum regium inter pedes anteriores collocatum custodire hl. sibi finxisset autor. Qua sententia absurda imagines a poeta usurpatæ omnino confunduntur simulque nexus orationis abrumpitur, ex quo duo unius commatis membra, quibus unum idemque verbum commune est, arctissime cohæreant et

---

1) Eins der ältesten und schönsten Idyllen des Morgenlandes 1 B. Mos. 49 c. Giess. 1793: „nie sinkt der Führerstab aus Judas Hand, der Stab, der zwischen seinen Füßen wohnt". 2) Nationalgesänge der Hebräer. P. II. p. 45. 3) Pentateuch. hebr. & græc. Vol. I, Genesis Lips. 1829. 4) Simpliciter: „nicht weichet das Scepter von Juda, noch der Herscherstab von seinen Füßen". 5) Observat. Sacr. P. II. Obs. 8. § 20, p. 121. 6) In Notis ad opus Bibl. ex Angl. coll. P. I. p. 425. 7) In Dissertt. Selectt. ad Sacr. Script. V. T. Leoward. 1750. 4. Tom. I. P. II. dicit autor: „sceptrum Judæ tanquam Leoni tribuitur, qui illud inter pedes teneret, in signum potentis et terrificæ suæ potestatis et majestatis, qua hostes subigeret et populum vi contineret simul, simul contra omnem hostilem impetum tueretur. — Una eademque res et non diversæ per sceptrum et legislatorem exprimitur o: sceptrum insigne imperatoris vel sceptrum id est imperator. מִבֵּין רַגְלָיו leonis recubantis, cujus modo meminerat, imago loquenti fuit obversata, et sceptrum majestatis imperatoriæ Leonis inter pedes fuisse indicatum voluit. Judam itaque cum leone flexis cruribus recumbente et dominantis suæ potestatis insigne inter anteriores suos pedes retinente comparari statuimus" etc.

a se invicem separari minime possint necesse est. — Explicatione vero, quam commendare studuimus, admissa, omnia optime cohærere confidimus; quod in v. 8—9 obscurius indicaverat autor, in v. 10 proprius et clarius symbolo sceptri declarat: fingitur rex ex tribu Judæ ortus in throno sedens, sceptrum forti manu gestans, *nulla timens pericula*, potestate sua fretus, persuasum sibi habens, nunquam se sceptrum regium amissurum esse.

עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה. Lectionem שִׁילֹה veram et genuinam nos habere, jam hìc profitemur, in sequentibus justo loco hujus existimationis nostræ rationes reddituri. — Ex innumeris porro explicationibus, quibus omnium temporum theologi non minus quam philologi inclytam hanc vocem illustrare conati sunt, hìc a nobis diligentissime defendenda erit illa, quæ saltem vim ejus grammaticam assecuta nobis videtur, paucissimis præterea minimisque premitur difficultatibus et cum nexu, argumento, consilio totius poëmatis facillime conjungi potest, etsi dubitandi adhuc materiam semper restare non negabimus.

Prima nobis quæstio de origine erit etymologica τȣ̃ שילה. Circumspicientibus in tota lingua Hebræa nulla invenietur opportunior aptiorque radix, a qua derivari possit hæc vox, quam שָׁלָה s. שָׁלֵו sæpius in V. T. occurrens indubitatæque significationis. Notat enim: salvus, securus fuit, quievit, tranquille degit, maxime de eo, qui prospera utitur fortuna, qui in alta pace bonorumque versatur abundantia, ex. gr. Jer. 12, 1 מדוע דרך רשעים צלחה שלו כל־בגדי בגד „cur via improborum successum habet, cur perfidiam patrantes tranquille vivunt?“ Thren. 1,5 איביה שלו „hostes ejus securi sunt“ (sc. ab impetu devictorum). LXX *οἱ ἐχθροὶ αὐτῆς*

εὐθήνησαν. Ps. 122, 6 שאלו שלום ירושלם ישליו אהביך „rogate pacem Hierosolymorum, bene et tranquille sit iis, qui te diligunt". Job. 3, 26 לא שלותי ולא־שקטתי ולא־נחתי ויבא רגז „non securus, non quietus, non tranquillus sum, perturbatio mihi supervenit". LXX οὔτε εἰρήνευσα, οὔτε ἡσύχασα, οὔτε ἀνεπαυσάμην etc. Job. 12, 6 ישליו אהלים לשדדים ובטחות למרגיזי אל „tentoria vastatorum secura sunt et tranquilla eorum, qui deum irritant" etc. שָׁלָה = arab. سلا tranquilli et securi animi fuit = Chald.[1]) שְׁלָה, ex. gr. Dan. 4, 1, ubi de felici et prospera conditione adhibetur: שלה הוית בביתי ורענן בהיכלי „tranquille vixi in domo mea et florui in palatio meo". LXX εὐθηνῶν ἤμην ἐν τῷ οἴκῳ μου, καὶ εὐθαλῶν. Vicinæ radices sunt סָלָה, quæ quidem notione suspendendi, elevandi in V. T. occurrit (= סָלָא et סָלַל), sed simul: quievit, siluit significasse videtur (unde nota illa musica in Psalmis frequentissima סֶלָה), cfr. Syr. ܫܠܐ siluit, et שָׁלָה, quæ in lingua Hebræa non restat, sed idem notasse ac שָׁלָה et סָלָה dubio non caret, simul pinguis fuit (= arab. سلى) unde שְׂלָו coturnix a pinguedine dicta; pinguedo vero et opimitas etiam Græcis et Latinis sunt signa fertilitatis, abundantiæ, tranquillitatis, felicitatis[2]). Hinc factum est ut Schultensius[3]), Venema[4]) aliique שָׁלָה proprie eliquatum

---

[1]) Cfr. Buxtorf. Lex. Chald. Talm. p. 2404. [2]) Sic Latini dicunt: „pinguis somnus", cfr. Ovid. Amor. 1, 13. Lucan. 10, 354 pro: tranquillus et profundus. „Mollis et pinguis vita" Plin. ep. 7, 29. cfr. ep. 5, 6: „altius ibi otium et pinguius eoque securius" etc. eodem modo Græcorum λιπαρος usurpatur. [3]) Origen. Hebr. Tom. II. p. 53. [4]) In Dissertt. Selectt. ad Sacr. Script. V. T. Leoward. 1750. 4to. Tom. I. P. II.

et defæcatum signare butyrum, unde translate de tranquillo et securo statu adhiberi contendant. Ejusdem stirpis propagines, censente Gesenio, in linguis indogermanicis exstant, tum quietis et silentii, tum salutis notione gaudentes, ut σχόλη quies, otium, lat. sileo = סלה et salv-us, salu-s. Derivata denique radicis שָׁלָה occurrunt hæcce: שָׁלֵו (etiam שָׁלֵיו, שְׁלֵיו) m. adj. f. שְׁלֵוָה salvus, securus, cfr. Job. 21, 23. Jer. 49, 31. 1 Chr. 4, 40. Ps. 73, 12. שֶׁלֶו subst. tranquillitas, securitas Ps. 30, 7. שַׁלְוָה id. cfr. Prov. 17, 1. Ps. 121, 7. Ez. 16, 49 = ch. שְׁלֵוָה Dan. 4, 24. — Jam vero ad formam שִׁילֹה, de qua quæritur, redeamus. Quæ cum in verbis ל"ה inusitata sit et cetera ex themate שָׁלָה derivata omnino a forma שִׁילֹה differant, multi ut Joh. Simonis [1]) al. hac derivatione repudiata alio se convertunt. Hoc vero necessarium non habemus; licet enim in derivatis verborum ל"ה non occurrat ista forma, attamen minime insolita est in aliis verbis. Afferuntur a grammaticis formæ, quæ nostræ omnino analogæ sunt, in quibus scilicet י inter primam et secundam radicalem inseritur, ut קִיטוֹר fumus Gen. 19, 28 (a קָטַר), כִּישׁוֹר, ἁπαξλεγ. Prov. 31, 19 colus (a כָּשַׁר rectus fuit), כִּידוֹר turbæ bellicæ, tumultus bellicus Job. 15, 24 (a כָּדַר rad. inus. arab. كَدِرَ s. كَدُرَ turbidus fuit), שִׁיחוֹר, שִׁחוֹר et שִׁחֹר pr. niger, turbidus, dein: nom. propr. Nili fluvii (a שָׁחַר niger fuit), שִׁלֹחַ pro שִׁילוֹחַ (ut chaldaice scribitur), cum art. nomen propr. aquæductus ad radices Zionis (a שָׁלַח misit, emisit, sc. aquam, cfr. Ps. 104, 10), צִינֹק carcer Jer. 29, 26 (a צָנַק inusit. clausit) etc. immo derivatum verbi alicujus ל"ה formæ nostræ simile exstat

---

1) Arcan. Form. Nom. Hebr. Ling. p. 425.

גִּלֹה nom. propr. urbis in montanis Judæ sitæ, cfr. Josv. 15, 51. 2 Sam. 15, 12 (a גָּלָה). Nil igitur obstare videtur, quominus nostrum שִׁילֹה derivatum existimemus radicis שָׁלָה, quo sine dubio etiam nomen proprium oppidi cujusdam Ephraimitarum שִׁילֹה (quod varie scribitur שִׁלֹה, שִׁילוֹ et שִׁלוֹ) ɔ: locus s. urbs quietis referendum est. Jam vero qui hanc derivationem admittunt, in duas dein partes abeunt, aliis שִׁילֹה nostrum abstractum habentibus, aliis concretum. Vater, Gesenius, Justi, Schumann, Maurer [1]) etc. vertunt: quies, tranquillitas, totamque phrasin ita reddunt: donec veniet tranquillitas eique (Judæ) obdient populi (Gesen. bis Ruhe kommt und Völker ihm gehorchen) ɔ: Juda sceptrum ducis non prius e manu deponet, quam hostibus subactis imperium in multos populos consecutus erit. Sed etsi non negabimus שִׁילֹה quoad primitivam suam significationem abstractum esse, quietem indicans = שַׁלְוָה (ut nomen urbis Schiluntis), plura tamen sunt, quæ hanc notionem hl. admittendam dissuadeant. a) Jam in antecedentibus imagine leonis quiescentis summa depicta est tranquillitas, ita ut abstractum in hisce: donec veniet tranquillitas nimis frigidum esset, omni vi et emphasi carens, ut jure observat v. Bohlen. b) שֵׁבֶט & מְחֹקֵק de insigni militari ducis bellici sumere arbitrarium est, qua explicatione præterea sensus prodit languidus, qui cum splendidis poetæ imaginibus vix conjungi potest. c) Perturbatur denique series orationis nexusque grammaticus, ubi לוֹ in ultimo membro ad יְהוּדָה remotum refertur, licet simplicissimum sit illud cum voce proxime antecedente copulare. Quibus

[1]) Comment. gramm.-crit. in V. T. Vol. I. ad hl.

rationibus moti cum plurimis et recentiorum et antiquiorum interpretum שִׁילֹה ut concretum non dubitamus exponere de tranquillitatis et pacis autore, tranquillatore, salvatore, pacificatore, principe pacis studioso et amante. Obvertunt quidem nonnulli, ex. gr. Joh. Simonis[1]), istius formæ nomina plerumque „effectum actionis intensæ et frequentis" exprimere et fere semper metonymice „pro medio effectus" accipi solere[2]), neque certo aliquo exemplo probari posse, talia nomina ut nomina agentis usurpari[3]). Verum in lingua Hebræa quemadmodum in plerisque aliis linguis nil frequentius esse, quam abstracta poetice pro concretis, immo pro ipsis nominibus agentis adhibere, vix opus est ut moneatur. Sufficiat hl. citare שָׁלוֹם pax, quod non solum ut concretum occurrit, verum etiam ut hl. שִׁילֹה pro nomine agentis exstat Mich. 5, 4 והיה זה שלום ɔ: auctor pacis, cfr. Eph. 2, 14 *αὐτὸς ἐςιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν*. Quo accedit quod concreto verbum בּוֹא rectius convenit et cum persona simplici nexu conjungitur ultimum commatis 10mi membrum. Non igitur opus fuit, ut Vater putat, ad hanc notionem exprimendam, part. Pielis מְשַׁלֶּה adhibere. Ut concretum jam in Persica versione accipitur שִׁילֹה, scilicet de Messia. Notione vero pacifici sive pacis autoris inde a tempore Lutheri usque ad nostram ætatem a plerisque interpretibus sumitur. Lutherus ipse, dum vertit: der Held ex addita nota interlineari (Silo, das ist, der glückselig seyn und frisch durchdringen

---

1) Arcan. Form. Nom. Hebr. Ling. p. 425. 2) Joh. Simonis Arcan. Form. etc. p. 423. 3) Jahn. Vatic. Mess. II. p. 179 sq.

sollte — darum nennen wir Silo einen Helden)[1]), eodem oculum flexisse videtur, quamquam in commentario suo in Genesin prorsus aliam insistit viam (vide infra). Castellio habet: sospitator. Vers. Tigur. in margine: felicitator. Hosce sequitur innumerabilis pæne interpretum caterva: Vatablus, Ainsworthus[2]), Mercerus[3]), W. Musculus[4]), Hottingerus, Sculteus, Altingius[5]), Flacius[6]), Fagius, Gerhardus, Glassius, Edmund Castellus[7]), Phaletranus[8]), Pfeiffer[9]), Brentano, Muhlert[10]), Kanne[11]), Rosenmüller[12]), Winer[13]), Baumgarten-Crusius[14]), Hengstenberg[15]), Friedrich[16]) etc. etc. qui omnes שִׁילֹה ut concretum notione pacifici, pacis autoris etc. accipiunt.

Jam vero alia oritur quæstio, quinam sit ille, qui nomine שִׁילֹה hl. insignitur. In hac quæstione solvenda ad totum contextum et scopum hujus benedictionis respiciatur necesse erit, quo facto haud difficile erit, quem hoc nomine in animo habuerit poeta noster,

---

1) Luthers Wercke ed. Walch. Tom. 21. p. 421. 2) Annotations upon the 5 books of Moses. London 1621. T. 1. 3) In Gen. comment. Genev. 1598. 4) Com. c. loc. theol. in Genesin 1600. Basil. 5) Schilo s. de vaticinio patriarchæ Jacobi etc. libb. 5. Franck. 1662. 6) Clav. script. sacr. 7) Lex. Heptogl. col. 3760. 8) Exercitatio historico-philologica de sceptri Judaici ablatione etc. Vinariæ 1645. 9) Opp. Omnn. Tom. I p. 108. 10) Ueber Schilo etc. in Analecten von Keil u. Tschirner II. p. 3. 11) Christus im A. T. I. p. 210 sqq. 12) In Scholiis ad Gen. ed. 3tia. 13) Lex. Man. p. 982. 14) Bibl. Theol. p. 368. 15) In Christologie des Alt. Test. etc. P. I. p. 67—69 vertit: bis daß der Beruhiger komme. 16) Der Segen Jacobs etc. vertit: bis der Friedfert'ge gekommen ist.

intelligere. In antecedentibus regnum Davidicum ab autore celebratum esse ostendimus. Tribum Judæ sceptrum regium, Benjaminitis ereptum, per Davidem obtinuisse, simul civitatem Israeliticam, finibus regni immensum quantum extensis, ad summum potentiæ et roboris culmen eo regnante evectam esse observavimus. Sed ab altera parte, etsi imperium Davidis longe lateque reipublicæ gloriam sparserat, tempora fuerant turbulenta, et nonnisi per longam tumultuum civilium et bellorum cum externis hostibus gestorum seriem ad perfectam regni possessionem pervenerat rex. Ultimi etiam vitæ Davidis anni turbis non carebant, seditione Absalonis et Sebæ, deinde insidiis Adonjæ pacem, qua brevi tempore fruebatur civitas, perturbantibus. Non igitur mirandum, omnes Judæos, bella et tempestates civiles pertæsos, pacem desiderasse, non incertam et brevem, sed diuturnam omnique metu et anxietate liberam, ad eam omnibus remis velisque tetendisse, cum ea omnem felicitatem sibi eventuram esse sperasse. Rex vero Davides, cujus virtuti robur suum et splendorem debebat patria, senex erat grandævus decrepitusque, et non sine causa omnes cives boni bellorum ac seditionum innovationem, si moreretur, metuebant. Sic omnium oculi in successorem Davidis futurum conversi erant. Inter omnes autem filios regis nemo exspectationibus desideriisque populi magis respondere videbatur, quam Salomo, sapientissimi Nathanis prophetæ discipulus, omnibus pacis artibus virtutibusque imbutus. Ipsum nomen ejus שְׁלֹמֹה, Pacificus, otium et pacem portendebat. Ob clementiam et mansuetudinem animi (cfr. 1 Chr. 22, 5 נער ורך juvenis et mollis animo, cfr. 1 Chr. 29, 1) populo acceptissimus erat. Splendidæ Dei promissiones

cum futuro ejus imperio conjunctæ erant. Ipse Jehova, qui Davidi templum, quod hic constituerat, exstruere non permiserat, Salomonem ad magnum hocce opus perficiendum designavit. Nolebat enim Deus sibi a viro, cujus vita in bellis gerendis et sanguine effundendo versata fuerat, sanctum templum exstrui (cfr. 1 Chr. 22, 8. 28, 3, ubi hæc afferuntur Jehovæ verba: „domum meam non exstrues, nam vir es bellorum et multum sanguinis effudisti" כי איש מלחמות אתה ודמים שפכת). Tale opus puris viri pacifici manibus oportebat absolvi et talem regem futurum esse Salomonem, ipse Deus Davidi promittebat (cfr. 1 Chr. 22, 9: „ecce filius, qui tibi nascetur, vir erit quietus, איש מנוחה, et ipsi quietem ab omnibus undique hostibus præstabo, nam Salomo vocabitur, et pacem et otium præbebo Israelitis ævo ejus"). Quales exspectationes hoc nomine sibi foverint coævi, ex magnificis illis descriptionibus colligendum est, quibus futurum Salomonis regnum ipse Jehova traditur celebrasse, cfr. 2 Sam. 7, 12—16. 1 Reg. 5, 5. 1 Chron. 22, 10—13. 28, 5—7. Quibus omnibus bene consideratis, si ad locum nostrum nos convertimus, subito obscuris poetæ verbis affunditur lux clara; patebit enim, quæ forma prophetiæ hic cecinit vates, ea in illam rerum conditionem, in qua ultimis Davidis annis versati sunt Judæi, egregie quadrare, immo, nonnisi coacte gravissimisque difficultatibus obstantibus de alia historiæ Israeliticæ periodo posse explicari. In v. 8—9 præterita cecinit poeta; tribum Judæ omnibus ornavit laudibus; eam solam dignam esse principatu et regia dignitate declaravit pulcherrimisque imaginibus regnum Davidis, serie felicissimorum bellorum continua inclytum, vitoriarum periodum, celebravit. Tempora anteacta percurrens,

ad præsentem rerum conditionem, in qua ipse vivit, tandem pervenit autor, tempus scilicet, quo leo vetus, venando fatigatus, acquiescere coepit, sive ad illud pervenit tempus, quo Israelitæ, turbis bellisque fessi, laborum fructus percipere vehementer desiderabant. In præsentiarum quidem omnia secura erant ac tuta (cfr. in v. 9 מִי יְקִימֶנּוּ), sed rex, molestiis et senectute confectus, morti erat proximus, eoque mortuo præsens rerum status mutari poterat. Populus ideo in posterum prospiciens non sine anxietate et timore futura exspectabat. Jam poeta, a præteritis præsentibusque ad futurum subito transiens, spe læta cives erigere studet. Sanctissime promittit, tribum Judæ ɔ: domum Davidis regiam dignitatem nunquam amissuram esse, qua promissione omnem rerum novarum ac seditionum metum tollere vult. Eadem spes splendidis promissis divinis per Nathanem[1]) annuntiatis expressa est (cfr. locos supra citatt.). Quod brevius atque obscurius hic noster: „non recedet sceptrum a Juda" etc. affirmat, clarius et copiosius propheta 2 Sam. 7, 15—16 prædicat: „gratia mea non recedet ab eo (ɔ: Salomone חסדי לא־יסור ממנו), quemadmodum eam removi a Saule, quem a facie tua removi (כאשר הסרתי מעם שאול אשר הסירתי מלפניך); firma domus tua et regnum tuum in æternum tibi permanebit et thronus tuus solidus erit per omnia secula (ונאמן ביתך וממלכתך עד־עולם לפניך כסאך יהיה נכון עד־עולם)!" Similitudinem hujus nostrique loci nemo facile negabit. Nostrum autem vatem obscurioribus usum esse verbis, non mirandum est, forma enim benedictionis patriarchicæ, ad omnes populi tribus pertinentis, quam sibi elegerat, hoc postu-

---

1) Cfr. Friedrich: der Segen Jacobs etc. p. 96.

labat, ut obscure et mystice spem coævorum eloqueretur, simul, ut recte notat Friedrich[1]), prudentia autori suadere debebat, ut infelicem domus Sauli interitum, quo Benjaminitæ principatum amisissent, in publico carmine præteriret silentio, ne totius hujus tribus indignatio excitaretur. Deinde poeta, cum dignitatem regiam in familia Davidis semper conservandam esse prædixisset, mox lætam pacis ac felicissimæ tranquillitatis auream ætatem, veniente Schilo, עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה, civibus promittit. Quinam vero sit hicce שִׁילֹה, jam apertum esse confidimus. שִׁילֹה enim est mysticum et poeticum nomen Salomonis שְׁלֹמֹה, ita formatum, ut simul nomen indolemque hujus principis, simul spem pacis, quam totus populus tum fovebat, indicaret. Regem pacificum omnes Judæi desiderabant; quam omnium spem quum verbis patriarchæ Jacobi exprimere vellet poeta, voce significantiore uti non potuit, et tempore, quo lingua Hebræa quam maxime floruit, nomen symbolicum ut שִׁילֹה ab omnibus intellectum esse, non dubitandum est. Simplicissimam hanc vocis vexatissimæ significationem jam Samaritanos[2]) admisisse constat, immo Arabs quidam Pentateuchi interpres ipsum nomen Salomonis (سليمان) loco τε שִׁילֹה in textum recepit. Sequentium vero temporum interpretes omnes facillimam hanc explicationem repudiarunt, nostris demum diebus eam Fried-

1) Cfr. libr. cit. p. 97. 2) Epist. Samaritan. Sichemit. ad Ludolphum tert. edit. a P. J. Bruns in Repert. für biblische und morgenl. Litt. P. XIII. p. 281 et p. 289 not. f. Cfr. Silv. de Sacy Comment. de versione Samarit. Arab. Pentat. in Eichhornii Bibliothek der bibl. Litt. P. X. p. 51.

rich[1]) et v. Bohlen[2]) receptam multis argumentis defendere ausi sunt. Nos etiam, dum doctissimis hisce viris accedere non dubitamus, persuasum nobis habemus, hanc interpretationem τȣ שִׁילֹה ob facilitatem et simplicitatem, qua, omnibus remotis incommodis, sese commendat, nexumque verborum et totum carminis argumentum illustrat, reliquis omnibus, quotquot exstiterint, longe præferendam esse. — Ceterum nomina a pace petita Hebræis honorifica existimabantur, cfr. præter שִׁילֹה et שְׁלֹמֹה etiam שַׂר שָׁלוֹם princeps pacis, βασιλευς ειρηναῖος, quo postea Messias salutatus est (cfr. מֶלֶךְ שָׁלֵם Gen. 14, 18, quod in Ebr. 7, 2 exponitur βασιλεὺς εἰρήνης). — עַד כִּי non eas habent difficultates, ut plerumque putarunt interpretes. Quemadmodum enim עַד ut præpositio de tempore adhibitum terminum quidem indicat, sed hunc simul includit, ex. gr. Gen. 26, 33. 32, 33 עַד הַיּוֹם הַזֶּה usque ad diem hodiernum ɔ: hodieque, etiamnum[3]), sic ut conjunctio et plenius in עַד כִּי, quod idem est, sive עַד אֲשֶׁר, עַד אִם, עַד אֲשֶׁר אִם, de termino temporis: usque dum, donec, usurpatum haud raro non extremum, sed alium quendam terminum indicat et tempus, quod excurrit, minime exclusum vult. Optime hic observat Aben Esra[4]): „non est sensus verborum, recessurum esse sceptrum, cum venerit Schiloh; sed hæc locutio similis est illi: non deerit huic panis, donec veniat

---

1) Lib. cit. 2) Die Genesis etc. ad hl. 3) Cfr. de discrimine particularum حتى = עד et الى quarum illa terminum includit, hæc excludit, de Sacy grammat. arab. P. I. § 830. n. 3. Gesenii Lex. man. p. 736. 4) Pentaphyllum Rabbinicum in Gen. 49 e. stud. Loscani p. 22. Cfr. Hengstenberg. Christologie des Alt. Test. P. I. p. 71 et ejusdem libr. de authentia libr. Danielis p. 66-67.

tempus, quo ei erunt agri vineæque multæ (i. e. quando veniet tempus ejusmodi multo minus ei panis deerit), item Gen. 28, 15: non deseram te usque dum fecero, quod locutus sum tibi, quod nempe velim te reducere in hanc terram, i. e. multo minus te reductum in terram deseram; similiter dicitur: non auferetur sceptrum de Juda, donec venerit Schiloh i. e. nunquam auferetur sceptrum de Juda, multo minus, quum venerit Schiloh". Locis hisce addimus Ps. 110, 1 שב לימיני עד־אשית איביך הדם לרגליך, ubi res ipsa docet, particulam עד non esse in hunc sensum accipiendam, quasi subjugatis hostibus regnare sit desiturus rex, de quo est sermo; Ps. 112, 8 סמוך לבו לא יירא עד אשר־יראה בצריו „animo firmus non timebit, dum spectet in inimicis suis" ɔ: dum videat eos puniri; Dan. 1, 21 etc. cfr. 1 Tim. 4, 13, ubi *ἕως* eodem modo usurpatur: *ἕως ἔρχομαι, πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει, τῇ παρακλήσει, τῇ διδασκαλίᾳ*, in quibus omnibus exemplis tempus post terminum ad quem minime excludendum est [1]). Similiter hl. עַד כִּי explicamus; terminus quidem ad quem, sc. adventus regis pacifici, indicatur, quo transitus fit a bellicosa periodo ad felicissimam pacis conditionem; sceptrum vero regium etiam post inceptam hanc epocham penes tribum Judæ s. domum Davidis mansurum, contextus satis docet; adventus enim *τȣ* שִׁילֹה summam totius de Judæ potestate et gloria poematis innuit illamque

---

1) Cfr. v. Bohlen: die Genesis etc. p. 462. Gesenii Lehrgebäude etc. p. 847. Noldii concord. part. p. 534. Glassii phil. sacr. ed. Dathii p. 382 sq. Rosenmüller, de Wette ad Ps. 110, 1. et contra hosce Fritzchium ad Matth. p. 53 sq. Wineri Lex. p. 695. Cfr. Ewald. kritische Gramm. p. 604.

indicat periodum, qua in summo felicitatis ac roboris culmine apparebit dignitas regia huic tribui concessa. Nunquam igitur, ut sperat autor, sceptrum a domo Davidis recedet, sed per omnia secula posteri ejus in throno regali sedebunt, cfr. simile omnino promissum 2 Sam. 7, 13. 16. 1 Chr. 17, 12. 22, 10. 28, 7. Ps. 89, 5 עד־עולם אכין זרעך ובניתי לדר־ודור כסאך „in æternum stabiliam semen tuum et exstruam in perpetuas ætates solium tuum" (verba sunt Dei ad Davidem), qui omnes loci commentarium in nostrum exhibent verumque ejus sensum constituunt. Quamobrem nihil opus est, cum Vater[1]) עד referre ad antecedentia (ita ut aut substantivum sit: æternitas sc. היה, ut v. 26, aut adverbialiter sumatur, ut Es. 57, 15), cfr. versionem ejus: „an Herschern seiner Abkunft fehlt es nimmer, auch (כּי) Ruhe kommt" etc., vel cum Hasse[2]) עַד כִּי exponere = כִּי nam, et, (cfr. ejus explicationem: „herrschen müsse Juda — ja, עַד כִּי, ihm müsse kommen" etc.), quod contra usum hujus locutionis est, vel cum nonnullis Rabbinorum, ut Bechai etc. postquam vertere = כאשר, qui quidem postremus ad Onkelosum provocat, sed eum non recte citat: דייתי „postquam venit" etc. quum textus, qualis hodie exstat, expressis verbis habet: עד־דייתי פ: „usque dum venerit" etc. quo omnino sensum locutionis עד כי in textu Hebr. expressit[3]).

---

1) Comment. über den Pentateuch etc. P. I. ad hl. 2) In Magazin für die bibl. orient. Lit. Fasc. I. 3) Cfr. Altingii Schilo s. de vaticinio patriarchæ Jacobi. Lib. I. Gothofr. Valandi: „prætor e medio civium Jud. ante Messiæ imper. universale non abcessurus ad Gen. 49, 10" in Thes. theol. phil. Amstelod. 1701. Vol. I. p. 264 etc.

Ultimum denique membrum satis ostendit, עַד כִּי hl. minime extremum terminum indicare, quo apparente sceptrum et dominium tribui Judæ auferendum esset, mox enim additur:

וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים „et illi (ɔ: Schilo) erit obedientia populorum" ɔ: illi exteræ nationes obedientiam præstabunt; sic Rosenmüller, Aurivillius, plerique. יְקָהָה sive, ut vult Gesenius, יִקָּהָה nonnisi in stat. constr. יִקְּהַת (cum Dag. forti euphonico, quale in מִקְּדָשׁ Ex. 15, 17 et in עִקְּבֵי infra v. 17) [1]) et præter hunc locum tantum Prov. 30, 17 invenitur, ubi quemadmodum hic obedientiæ significatio optime cum nexu convenit, unde R. Dav. Kimchi in lexico suo hanc vocem interpretatur משמעת וקבל המצוה „obedientia et receptio mandati", cfr. Sal. Ben Melech in Michlal Jophi ad hl. Eandem notionem Alb. Schultensius [2]) plurimis defendit, יקהה ad rad. יָקָה (cum He mappicato) referens, quam in lingua Hebræa non exstantem convenire putat cum Arab. وَقِهَ „paruit promto studio, dicto obediens fuit", in quam potestatem themata cognata أقه et قاد conspirant. Schultensium plerique recentiorum, ut Michaelis [3]) (und ihm werden die Völker gehorchen), de Wette [4]), v. Bohlen, Gesenius, Winer etc. secuti sunt. — Alii vero alias hujus vocis explicationes proposuerunt. a) Nonnulli: aggregationem, conventum populorum reddunt, ita Arabs uterque, sc. واليه تجتمع الشعوب „et ad eum congregabunt se gentes", similiter Aquila καὶ αὐτῷ

---

1) Gesenii Lehrgebäude S. 86—87. 2) Commentar. in Proverbia Salomonis p. 454. 3) Deutsche Uebersetzung des A. T. mit Anm. für Ungelehrte P. II. p. 132. 4) Die Schriften des A. T. übersetzt von Augusti & de Wette, P. I. p. 110.

σύςημα λαῶν ɔ: „ad ipsum conventus populorum confluet", Vatablus, Clericus, Editores Oper. Bibl. ex Anglis coll. etc. יקהת prave derivantes a rad. קָוָה Niph. congrègari, de populis Jer. 3, 17; de aquis Gen. 1, 9, unde מִקְוֶה congregatio Gen. 1, 10 etc. Salomon Jarchi[1]), יקהת עמים eodem modo אסיפת עמים explicans, radicem Chald. קְהָה congregare, aggregare admittit, unde קְהִיתָא & אַקְוָתָא aggregatio, congregatio in Talmude[2]). Idem similiter Prov. 30, 17 לִיקֲּהַת־אֵם in eundem sensum exponit: „collectionem rugarum, quæ in facie matris sunt" לְקִבּוּץ הקמטים שבפניה, cfr. Abarbanelem[3]) qui hunc locum sic reddit: „sperni congregationem matris ɔ: matrem vetulam, in qua multi anni congregati sunt", et LXX, qui eodem respexisse videntur, quum יקהת־אם vertant *γῆρας μητρὸς*. b) Alii יקהת עמים vertunt: „exspectatio populorum", ut LXX hl. *αὐτὸς προςδοκία τῶν ἐθνῶν*, Symmachus: *αὐτὸς ἔςαι τῶν ἐθνῶν προςδοκία*. Vulg. „et ipse erit exspectatio gentium". Syr.: ܘܠܗ ܢܣܟܘܢ ܥܡܡܐ „et eum exspectabunt populi", qui omnes sine dubio cogitarunt de radice קָוָה, cui in Piel exspectandi est notio, ita ut יקהת cum תִּקְוָה Ruth. 1, 12. Zach. 9, 12 etc. „exspectatio", „spes" consentire existimaverint, nisi forte יָקַה idem ac קָוָה in Piel putaverint. c) Nonnulli, teste Altingio[4]), יקהת exponunt: „obtusio gentium ipsi erit" ɔ: populos

---

1) Ausführlicher Comment. über den Pentat. etc. übersetzt und mit Anm. etc. versehen von Haymann, 1ster Band. Bonn 1833. 2) Cfr. Buxtorf. lex. Ch. Talm. p. 1983. 3) Comment. in testamentum patriarch. Jacob. Gen. c. 49 descriptum, in latinam translata linguam variisque excerptis targum. & rabb. etc. illustrata a Fogh, Hafniæ 1734. 4. 4) Schilo s. de vaticinio patriarchæ Jacobi Libr. V.

obtusos et hebetes ferri more reddet ac devastabit, derivantes a rad. קָהָה s. קְהָא chald. stupere, obstupescere, obtusum, hebetem fieri, unde אַקְהָיוּת et קְהוּת, קִיהָיוֹן stupor, hebetudo[1]). Ita Jonathan accepisse videtur, quum locum nostrum reddat ובדיליה יתימסון עממיא „et propter eum colliquescent populi". d) Paucis יקהה est mundatio = נִקָּיוֹן puritas, a נָקָה Niph. purus, mundus fuit, hoc sensu: „ipse purgabit populos suos a peccatis suis", cfr. Matth. 1, 21. e) Alii denique, ut Ludovicus de Dieu, vocem nostram referunt ad Arab. وقى I custodire, defendere, ut verti posset: „ejus erit defensio populorum" vel: „ipsi reverentia s. cultus populorum", quum وقى in V notet: timere, revereri[2]) venerari, VIII: Deum timuit, pius fuit, unde יָקֶה nom. propr. in Prov. 30, 1. — Omnibus hisce autem illam, quam anteposuimus, interpretationem præferendam esse, quippe quæ contextui egregie respondeat, apertum est. Ceterum observandum, in textu Samaritano pro substantivo יִקְהַת exstare יִקְהַתּ ࠉࠒࠄࠕ, quod in Vers. Samarit. ita redditur ࠅࠋࠄ ࠉࠕࠊࠍࠔࠅࠍ ࠏࠌࠌࠉࠀ „et ad ipsum congregabuntur populi". קְהַת vero neque in Hebr. neque in Chald. occurrit; Castellus et Gesenius hoc verbum idem valuisse atque קָהָה s. קְהָא congregavit putant. Teller[3]), lectionem Samaritanam præferens, vertit: „ihm werden die Völker anhangen", simul provocans ad arab. قهد incessit aut قاد VII obsecutus est duci. Arbitrarie vero a textu nostro receditur. — De ultima v. 10 voce עַמִּים similiter

---

1) Buxtorf. lex. Ch. p. 1982. 2) Cfr. Ernesti Theol. Bibl. P. II. p. 706. Valandi prætor etc. in Thes. theol. phil. Vol. I. p. 274—75. 3) Nott. Critt. & Exegett. etc. p. 3.

dissentiunt interpretes, aliis de solis Israelitarum tribubus, aliis de populis exteris exponentibus. עַם s. עָם in sing. frequentissime quidem usurpatur de Israele, ut populo Dei עם יהוה cfr. Ex. 15, 13 etc. populo sancto עם קדוש cfr. Deutr. 7, 6; populo, qui Dei peculium est נחלה, cfr. Deutr. 4, 20 cet. s. עם סגלה, cfr. Deutr. 26, 18, qua notione גוים gentiles, τὰ ἔθνη in N. T. cfr. Jer. 2, 11. 5, 15. Ps. 115, 12 solent opponi, et specialiter dicitur de singulis tribubus, v. c. Jud. 5, 18 עם זבלון, et plur. עַמִּים sæpius de omnibus Israelitarum tribubus (cfr. δῆμος Atheniensium) v. c. Deutr. 33, 3. 19. Hos. 10, 14. Es. 3, 13 etc. sed etiam omnes omnino populi sine discrimine per עמים intelliguntur, ex. gr. Es. 8, 9; gentiles, ex. gr. Ps. 33, 10, ubi עמים et גוים synonyma sunt, cfr. Ps. 47, 2, 4. Deutr. 28, 10 עמי הארץ cet. Pro priori sententia stant R. Bechai, R. Hischia Chizkuni, Hug [1]), Gesenius [2]), Winer [3]) etc. de solo populo Israelitico עמים accipientes. Sed, quum jam in v. 8 de dominio Judæ in ceteras tribus dixerit poeta idemque initio v. 10mi per sceptrum ab hac tribu non auferendum indicaverit, vix hl. idem intelligi potest, quo præterea emphasis illa, quæ ex consilio poetæ in ultimo membro sine dubio inesse debet, ex parte evanescit, saltem minuitur. Præterea sub finem regni Davidis non tam rebellio tribuum ceterarum timenda erat, quam novæ potius populorum exterorum ac sub jugum missorum hostilitates metuendæ. Qua de causa etiam consilium Davidis filium ex Bathseba creatum, Salomonem, suc-

---

1) In Zeitschrift für die Geistlichkeit des Erzbisthums Freiburg, I. p. 122 sqq. 2) Lex. Man. p. 772. 3) Lex. Man. p. 729.

cessorem declarandi haud paucis displicuisse videtur, quippe qui opus fore bellicoso rege, qui gentes subjectas refrenare finesque reipublicæ novis bellis dilatare posset, opinati sunt. Hæc certe causa fuisse videtur, cur Joab, fortissimus militum dux, cujus ope in multis bellis feliciter usus fuerat Davides, conjurationis Adonjæ, filii Davidis natu majoris, particeps fieri non dubitaret, cfr. 1 Reg. 1, 7—8, veritus etiam sine dubio, ne sub rege pacis studioso omnem amitteret autoritatem. Boni forsan cives, qui omnes pacem optabant et Salomonem post obitum Davidis regem sibi expetebant (cfr. 1 Reg. 1, 8. 10), gentes, data occasione, in arma consurrecturas timebant. Civibus igitur poeta noster promittit, nihil sub rege Salomone a nationibus exteris timendum esse, immo hasce novo regi ultro se submissuras esse obedientiamque ei præstituras affirmat. Sic omnia optime cohærent: veniet Schiloh, princeps, qui nomen habet a pace et ipse pignus est pacis, ei nationes, a Davide devictæ, obsequium præstabunt, quo facto regnum firmabitur Israelis et in alta pace per omnia secula feliciter permanebit. Hunc in modum plerique et antiqui et recentiores עַמִּים acceperunt, ut Vulg. LXX, interpretes Chaldæorum, Syrus, Arabs uterque (cfr. versiones supra allatas), Lutherus (demselben werden die Völker anhangen), Friedrich, Herder, Michaelis, de Wette, v. Bohlen etc. Arbitrarie solus Henslerus [1]) עַמִּים de exercitibus hostium intelligit et sic exponit: „er liegt den Heer=

1) Cfr. Bemerkungen über Stellen in den Psalmen und in der Genesis. Hamb. & Kiel 1791 ad hl. Cfr. notas autoris ad Ps. 56, 8 in eodem libro.

führerstab nicht weg, er läßt diesen solange vor sich stehen, bis die Feinde sich für überwunden erklären, bis Heere ihm huldigen etc. — Denique non negabimus, hypothesin illam, quam optime conatus est vir doctissimus Friedrich [1]) probare, summopere nobis arridere, vatem scilicet nostrum in iis, quæ v. 10 cecinerit, memorabilem illum eventum in 1 Reg. 1, 38—53 narratum respexisse, cum Salomon, propheta Nathane simul cum Bathseba suadente, jussu Davidis, toto populo exsultante, rex Israelis et successor patris, Gichone publice unctus, in Zione solenniter declaratus sit, quo facto clandestina Joabi, Adonjæ, ceterorum consilia subito ad nihilum redacta sunt animique eorum et vires fractæ. Hac occasione, qua omnium oculi in Salomonem conversi sunt, verosimile est usum esse poetam ad firmam pacem, quæ neque internis tumultibus, neque externis bellis turbanda esset, inter publica gaudia toti populo nomine patriarchæ promittendam.

Quæ nunc sequuntur ad solum pacis et felicitatis regnum poetice depingendum pertinent:

11 *Adligat viti pullum suum*
Et ad vitem nobilem filium asinæ suæ;
Lavat in vino vestem suam
Et in sanguine uvarum amictum suum.

אֹסְרִי לַגֶּפֶן עִירֹה. Venema aliique י in prima voce suffixum habentes vertunt: „adligans mihi" etc., quod vero hl. nullum dat sensum. Jod in אסרי paragogicum est, in stylo poetico usitatissimum, et, ubi participio adjungitur, in præteritum et pron. relat. dissolvendum,

---

1) Cfr. librum sæpius citatum p. 83—84. v. Bohlen die Genesis etc. p. 485—486.

sic hl. אסרי == אשר אסר, cfr. Ps. 123, 1 ישבי בשמים „habitans in coelo" ɔ: אשר ישב etc. [1]). — עִירֹה antiqua est scriptio pro עִירוֹ, ut in סותה occurrit, cfr. Ex. 22, 4. 2 Reg. 9, 25. 19, 23, quæ forma suffixi originem trahit a הוּא, de quo per contractionem solum ה remansit et ob Cholem in ו mutatum [2]); antiqua tamen hæc forma suffixi etiam in serioribus V. T. libris passim invenitur, ut Ez. 20, 40. 31, 18. 36, 10 etc. et solita est in linguis Chaldaica et Syriaca. עַיִר frequenter pullus asininus vertitur, quo sensu etiam Gen. 32, 16. Job. 11, 12 etc. occurrit, sæpius vero asinum adultiorem indicat, qui jam ad vehendum, ad onera portanda et ad arandum adhiberi potest, cfr. Jud. 10, 4. 12, 14. Es. 30, 6. 24. Zach. 9, 9, in quo loco ultimo Messias describitur asino juveni insidens רכב על־חמור ועל־עיר, unde hl. etiam de asino juveni et robustiore explicamus, cfr. arab. عَيْرٌ et غَيْرٌ quod asinum quemvis, et sylvestrem et domesticum significat. — Sequens membrum parallelismum omnino synonymum exhibet:

וְלַשֹּׂרֵקָה בְּנִי אֲתֹנוֹ. In reddendo שֹׂרֵקָה == שֹׂרֵק, quod Es. 5, 2. Jer. 2, 21 exstat, admodum dissentiunt interpretes, ob incertam hujus vocis radicem et significationem. Gesenius eam deducit a שָׂרַק, a) == שָׂרַג, שָׂרַךְ implicuit, plexuit, qua quidem notione in V. T. non occurrit, b) == Syr. ܣܪܩ ch. סְרַק evacuavit, pectinavit, pectine purgavit linum, cfr. Es. 19, 9, unde שרקה aut vitis esset longis inter se plexis palmitibus prædita aut ob notionem purgandi, quæ שרק insit, palmites, abundantibus ramis reci-

1) Cfr. Gesenii Lehrgebäude etc. p. 547. 2) Cfr. Ewaldi kritische Gram. etc. p. 364.

sis, purgatas indicaret. Winer, ad ultimam hanc notionem provocans, שרקה vitem acinis vacuam s. vitem evacuatam explicat. Alii hanc vocem derivant a שָׂרֹק rufus, fuscus fuit (unde שְׂרֻקִּים de equis rufis s. fuscis Zach. 1. 8), ut hl. vitis uvas rubicundas ferens designaretur ɔ: pretiosius vitium genus; constat enim Orientalibus rubrum vinum pluris æstimari quam album[1]), quæ quidem τȢ שרקה significatio, si admitteretur, phrasi בדם־ענבים „sanguini uvarum" in ultimo membro optime responderet. v. Bohlen negat שרקה speciem certam vini notare, putans poeticam solum vocem esse pro גֶּפֶן. Plerique vero interpretes in eo consentiunt, ut sit vitis generosioris species, teste Abulwalide in Syria crescens, a Maroccanis[2]) Serki appellata, a Persis كشمش Kischmisch, ab Arabibus سَرِيقٌ et سوريق (quod Golius[3]) vitem generosam interpretatur) dicta, cujus uvæ parvæ, subrotundæ, nigricantes, dulcissimæ cum acinis admodum mollibus et vix animadvertendis ab illis, qui in istis regionibus versati sunt, scriptoribus vehementer laudantur[4]). Talmudistæ[5]), poetica hujus loci vi male intellecta, שרקה exponunt אילן שרק arborem sterilem. Ex Rabbinis Abarbanel hanc vocem explicat גפן נטועה מחדש „vitem denuo plantatam", Salomo Jarchi vero זמורה ארוכה „palmitem

---

1) Cfr. Rosenmülleri Altes u. Neues Morgenl. Tom. I. p. 233.
2) Cfr. Höst: Efterretninger om Maroccos og Fes, Kjøbenh. 1779 p. 283 § 5. 3) Lexicon Arab. p. 1275. 4) Cfr. Niebuhr: Reisebeschreibung etc. Tom. II. p. 169 et descript. Arabiæ p. 147. Oedmanni verm. Sammlungen aus der Naturkunde VI. p. 98 sqq. Chardin. voyage. Tom. IV. p. 513. 5) Wagenseilii Sota p. 710.

longum, qui Gallice courière dicitur". Accuratius R. Salomo Ben-Melech in commentario Michlal-Jophi ad hl. dicit שרקה esse המשובח ממיני הגפן „laudatissimam vitium speciem", et R. Isaac Ben Geath notat: שהוא מין הטוב מן הגפנים שהענבים לא ימצא בהם חרצן „esse optimam vitium speciem, in cujus uvis nulla grana reperiuntur". Chaldæi quoque Es. 5, 2 et Jer. 2, 21 שֹׂרֵק vitem electam גפן בחירא reddunt. Quam notionem etiam nostro loco urgendam putamus, quum optime solitæ Hebræorum poeseos rationi respondeat, in parallelismis scilicet fortiorem et specialiorem vocem post vulgarem sequi eamque repetere. — בְּנִי אֲתֹנוֹ hl. ut supra, Venema Jod putat suffixum et בן subjectum esse, vertens: filius meus (sc. adligat) asinum suum: „cum quod בְּנִי et non בֵּן, uti factum fuisset, si cum אֲתֹנוֹ, asina ejus, construeretur, legatur, tum quod filio asinæ hic locus non videatur esse commodus, quia solus pullus, sine asinæ mentione, hic intelligendus foret, cujus ratio nequit dari, quæ satisfaciat; solum pullum asinæ quare viti ligandum dixisset autor idque bis repetiisset? Si vero vocem בְּנִי filius meus interpreteris, pullus primo, dein ipsa asina rectissime memoratur, cfr. Zach. 9, 9". Sed absque omni dubio בְּנִי status constructus est (juxta formam אֲבִי, אֲחִי) pro בֶּן־, cum י paragogico [1]), et sic בני

1) v. Bohlen hl. recte observat: „am Adject. und Nomen giebt dasselbe (das verbindende Jod), wie das seltnere Vav (vergl. חיתו ארץ Gen. 1, 24. בנו בער Num. 24, 3), dem stat. constr. eine zugleich äussere Bezeichnung (so hier בני אתנו und חכלילי עינים), und die Endung ist zwar meist den Dichtern eigen, allein man kann sie nicht wohl eine bloss poetische nennen, da sie nicht sowohl im gemeinen Leben mit energischer Kürze gebraucht wird (Gen. 31, 39.), sondern auch im nom. propr. bis auf die späteste Zeit

אתנו omnino respondet עיר in primo membro, cfr. Zach. 9, 9, ubi cum עיר synonymice conjungitur בן־אתנות asellus, asinus juvenis. Eodem modo LXX, Syr. Arabs in Polygl. בני accipiunt, scil. LXX: *δεσμεύων πρὸς ἄμπελον τὸν πῶλον αὐτȣ̃, καὶ τῇ ἕλικι τόν πῶλον τῆς ὄνȣ αὐτȣ̃.* Syrus: ܢܐܣܘܪ ܠܓܦܬܐ ܥܝܠܗ ܘܠܫܘܪܩܐ ܒܪ ܐܬܢܗ „adligabit viti pullum suum, & palmiti filium asinæ suæ". Arab. Polygl.: رابطا الى الجفن جحشه وللسوريق بني اتانه „ligans ad vitem pullum suum, et ad palmitem filios asinæ suæ"; quibus versionibus textus noster plus minusve accurate redditur. Longius ab eo discedit Versio Samaritana: ࠀࠎࠉࠓࠄ· ࠋࠂࠐࠍࠄ· ࠒࠓࠕࠄ· ࠋࠔࠓࠒࠕࠄ· ࠁࠓ· ࠏࠔࠑࠒࠄ ɔ: „ligata est ad vitem civitas ejus et ad palmitem filii roboris ejus"; patet hujus versionis autorem עִירֹה, in textu Samaritano ࠏࠉࠓࠄ, retulisse ad עִיר oppidum [1]), et בני אתנו figurate de hominibus accepisse. De Chaldæis, qui a textu Hebræo omnino recedunt, infra agemus. Lutherus accurate vertit: „er wird sein Füllen an den Weinstock binden, und seiner Eselin Sohn an den edlen Reben". Similiter plerique seriores. Subjectum vero in vss. 11 et 12 a multis שִׁילֹה, qui proxime antecedit, habetur, sed longe rectius ipse יהודה subjectum subintelligendus

---

sich erhalten hat (cfr. מלכי־צדק Gen. 14, 18. מלכיה Jer. 21, 1. מלכירם 1 Chr. 3, 18. דניאל, גבריאל etc., cfr. Gesenii Lehrgeb. p. 520. 546. 2). Am allerwenigsten läßt sich aus einer einzelnen, in der Sprache lebendig gewordenen, Form wie היתה eine Nachahmung der Genesis erweisen, wofern nicht Gedanken und Sachen berücksichtigt werden. 1) Cfr. Hieronymi Quæstiones in Genesin (Opp. Tom. III. p. 374) „sed et hoc sciendum, quod ubi nos legimus: alligans ad vitem pullum suum, pro pullo in Hebræo possit legi: urbem suam" etc.

est, cum in hisce versibus fertilitas et ubertas regionis Judæ, ad quam celebrandam singulæ imagines pertinent (cfr. infra), respiciatur et autor totus sit in felicitate hujus tribus futura, regnante Schilo s. Salomone, laudanda. Asinus autem cum symbolum sit pacis et tranquillitatis, optime hl. a poeta ad pacificum Salomonis regnum describendum introducitur. Similiter Zach. 9, 9—10, ubi adventum Messiæ prædicit propheta, rex ille magnus fingitur asino equitans (רכב על־חמור ועל־עיר בן־אתנות), pacem nationibus nuntians (דבר שלום לגוים), deletis curribus et equis (quod quidem animal antiquis omnibus populis symbolum belli erat)[1]) et arcubus bellicis etc.

כִּבֵּס בַּיַּיִן לְבֻשׁוֹ וּבְדַם־עֲנָבִים סוּתֹה. LXX recte vertunt: *πλυνεῖ ἐν οἴνῳ τὴν ςολὴν αὐτοῦ, καὶ ἐν αἵματι ςαφυλῆς τὴν περιβολὴν αὐτȣ̃*, quos sequitur Vulgatus: „lavabit in vino stolam suam & in sanguine uvæ pallium suum". Similiter textum Hebræum reddunt antiquæ versiones reliquæ; ita Syrus: ܢܚܘܪ ܒܚܡܪܐ ܠܒܘܫܗ ܘܒܕܡܐ ܕܥܢܒܐ ܬܟܣܝܬܗ „dealbabit vino vestimentum suum, et sanguine uvarum operimentum suum"; Arabs in Polygl. غاسلا بالخمر لباسه وبدم العنب كسوته „lavans vino vestem suam, et sanguine uvarum indumentum suum" etc. דַם־עֲנָבִים „sanguis uvarum", metaphora est pluribus linguis communis sæpiusque in V. T. obvium, cfr. Deutr. 32, 14, in carmine Mosis, ubi דם־ענב per חמר vinum explicatur, cfr. 1 Mac. 6, 34. Sir. 39, 26 *αἷμα ςαφυλῆς*, cfr. Apoc.

---

1) Cfr. Virgil. Æneid. lib. 3. v. 539, ubi Anchises, equis in litore conspectis, in hæc erumpit verba:

.... „bellum, o terra hospita, portas:
Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur".

14, 20 [1]). Græcos candem figuram adhibuisse, ostendit Rosenmüller [2]). Hl. phrasi דם־ענבים vinum rubrum, quale in Palæstina exstat, Orientalibus pretiosissimum, spectari, dubium non est; vinum rubrum Prov. 23, 31 ut gratissimum commemoratur: אל־תרא יין כי יתאדם. Etiam Græci vino hujus coloris (cfr. poet. τὸν αἴθοπα οἶνον) in libationibus usi sunt [3]). Hodie quoque Christiani Armeniæ eadem de causa album vinum solent rubrum reddere ope arboris Brasiliæ crocique [4]). Frustra igitur G. A. Teller negat hl. vinum rubrum intelligi, putans locutionem illam דם־ענבים, Græcis, Romanis [5]) aliisque solitam, ex illa imagine petitam esse, qua, nullo respectu habito ad colorem, succum uvæ sanguinem ejus vocarent, omnibus arboribus sanguinem adtribuentes, cum, ut corpus animale sanguini, ita plantæ succo, qui ipsis insit, vitam debeat. Sed longe verosimilius est, istam metaphoram a vino rubro ob similitudinem coloris petitam esse posteaque de vino etiam albo et succo arborum in universum adhibitam. Nostro loco vinum innui rubrum,

---

1) Cfr. Grotium in Comment. & Jacob. Hasæum in Biblioth. Bremens. Class. III. p. 257—258. 2) Cfr. Achillem Tatium Lib. II. p. 67, ubi traditur Bacchus Tyrio cuidam pastori vinum propinasse et roganti: πόθεν ὕτως εὗρες αἷμα γλυκυ; respondisse: τῦτό ἐςιν αἷμα βοτρύων. 3) Cfr. Iliad. 1, 462. Odys. 3, 459. Cfr. Eustath. ad Iliad. 2, 636. Cfr. Rosenmülleri Altes und Neues Morgenl. Tom. I. p. 233. 4) Cfr. Olear. pers. Reisebeschr. S. 801. 5) Cfr. Plinium in Hist. Nat. Lib. 14. c. 5: „vinum sanguinem terræ" vocantem, et Cassiodor. Epist. 12, 4: „uvarum frigidum sanguinem", cfr. Statii Thebaid. I. 329. Nemesian. Eclog. II. 50. Bocharti Canaan L. I. c. 18. p. 478. Salmas. in Exercit. Plinian. p. 906. Cfr. v. Bohlen die Genesis etc. p. 468.

poetico stylo convenit simulque, quum hunc colorem habeat vinum Palæstinense, rei veritati. — סוּתֹה pro סוּתוֹ (vide ad עִירֹה notata). Plerique, ut Salomo Ben-Melech, Aben Esra, Winer, Rosenmüller, Gesenius[1]), v. Bohlen cet. סוּתֹה esse כְּסוּתֹה exponendum, litera Caph schwata per aphæresin omissa, sine dubio recte censent (vid. Aben Esra ad hanc vocem סותה כמו כסותו והסר כף), cfr. exempla analoga תֵּן pro נְתֵן, קַח pro לְקַח, בּוּל pro יְבוּל et observationem Gesenii: „quamquam כ ab initio abjecti alia exempla non suppetant (in medio abjecti exemplum est מַס pro מֶכֶס), certum tamen, præter quiescibiles et liquidas etiam mutas molliores passim abjectas esse, ut chald. דְּבָבוּ & בְּבוּ inimicitia, arab. مَتَاع, بِتَاع et تَاع possessio, it. nota genitivi in lingua vulgari". Textus Samaritanus lectionem integram כסותה ࠊࠎࠅࠕࠄ directe exhibet. Salomon Jarchi סוּת ἀπαξλεγομενον, genus vestimenti significans, habet. Omnes antiquæ versiones כסותה exprimunt, sic LXX περιβολην, Vulg. pallium, Syrus: ܟܣܘܬܐ operimentum, Arabs uterque: كسوته, Onkelos כסותיה. In plerisque vero locis כסות est tegumentum, operimentum, cfr. Ex. 21, 10. 22, 26. Job. 24, 7. 26, 6. 31, 19; metaphorice placamentum, mulcta Gen. 20, 16; hl. ut Deutr. 22, 12 vestis, amictus = לבוש, hoc discrimine, quod לבוש ut Græcorum ἐσθης s. plur. ἐσθητες vestes in universum, כסות ut τριβων et interdum ἱματιον amictum, togam, pallium denotat, quod super ceteris vestibus Græci & Romani non minus

---

1) Comment. de Pent. Samar. p. 33 & Lehrgeb. p. 136. Contra vero J. D. Michaelis in Supplement. p. 1733.

quam **Orientales**[1]) gestare solebant, ═ שלמה & שמלה; immo pauperes Judæorum hocce pallio **tegumenti** loco noctu usos esse constat, cfr. Deutr. **22**, **17**. —

12 *Caligans quoad oculos a vino,*
Et albus quoad dentes a lacte!

חַכְלִילִי adj. Solent interpretes hanc vocem notione **rubicundi** accipere. Jam **Onkelos**, quamquam longe alium sensum toti huic versui obtrudit, tamen חכלילי reddit per יסמקון **rubent**, et **Syrus** primum membrum vertit: ܙܗܝܢ ܥܝܢܘܗܝ ܡܢ ܚܡܪܐ „rutilantiores sunt oculi ejus vino"; eos plerique seriorum sequuntur, cfr. **Aben-Esra** ad hl. „sanguini", ait, „assimilat illud, quia valde rubet", et **Salomon Jarchi**, qui ad hl. observat: חכלילי significat ex Targum **rubedinem**, ita etiam Prov. **23**, **29**, nam qui vinum bibunt, eorum oculi rubri solent esse"[2]). Ipse **Rosenmüller**: **rubicundus oculis ex vino** vertit, provocans ad **Alb. Schultensium**[3]), qui substantivum חכלילות, quod Prov. **23**, **29** exstat, de **rubore oculorum** explicat, quum radicem חכל حكل in **Kamuso** cum شكل, unde شكلة: „rubor in oculi parte alba" convenire putaverit. Doctissimum autem virum lexicographum **Arabem** non recte intellexisse, ostendit **Gesenius**[4]), cujus versionem loci illius **Kamusi**[5]) (p. **1426**), quam respexit **Schultensius**, lati-

---

1) Cfr. Rosenmülleri das alt. und neu. Morgenl. P. II. p. 79. 2) Cfr. Ketubot. p. 111. 3) In versione integra Proverb. Salomon. et commentar. quem in compendium redegit etc. Vogel. 4) Cfr. ejus Hebr. u. Chald. Handwörterbuch 3 Ausg. Leipzig 1828. Einleitung p. XXXIII & XXXIV. Kosegarten in Ephem. Jenens. 1824. IV. p. 51 sqq. 5) Verba, quatenus huc pertinent, sunt: الحكل ما لا يسمع صوته كالذر . . . .

nam hic apponimus: الحَكْل est quod sonum audibilem non edit, ut formicæ . . . . addito He الحُكْلَة quod peregrinum (intellectu difficile) est in sermone, حَكَل sq. على dubium, obscurum fuit negotium . . . . Conj. VIII confusus fuit, barbare locutus est, idem ac اشتكل, حَاكِل vino ebrius". Ex hisce vero satis patet, propriam significationem τε חכל esse: obscura fuit res, et شكل, a lexicographo allatum, hl. adhiberi de negotio obscuro et difficili aliamque notionem in hoc nexu non admittere posse, etsi interdum de oculis rubescentibus occurrit (cfr. شكلة supra); denique, quod gravissimum est, exemplum حاكل satis docet, radicem حكل in Arab. ut utrumque ejus in lingua Hebræa derivatum, חַכְלִילִי & חַכְלִלוּת, de ebriis, saltem vini potatoribus usurpari. חַכְלִילִי is igitur est, cujus oculi ob abundantem vini usum caligant [1]) („dem es dunkel wird vor den Augen", Gesen.), cujus visus confusus et perturbatus est præ caligine oculis obducta; subst. חַכְלִלוּת in Prov. 23, 29 caligatio oculorum. Notio autem ebrietatis Samaritanum offendisse videtur, nam pro nostro חַכְלִילִי in textu suo posuit ࠄࠊࠋࠉࠋࠄ הכלילה præt. Hiph. rad. כלל, quæ modo in Kal occurrit et significationem habet absolvendi, perficiendi, cfr. Ez. 27, 4 כָּלְלוּ יָפְיֵךְ et v. 11 הֵמָּה כָּלְלוּ יָפְיֵךְ

وبها العجمة فى الكلام وحكل على الخبر اشكل كاحكل .... واحتكل اشتكل وتعلم العجمية بعد العربية والحاكل المخمر. 1) Cfr. Græcorum *οἴνοψ* ɔ: niger, fulvus, cfr. Homericum: *ὁρόων ἐπὶ οἴνοπα πόντον* (Iliad. I, 350), *βός οἴνοπε* etc., in quo verbo non ruboris, sed coloris nigricantis inest notio.

„illi perfecerunt pulchritudinem tuam", unde כְּלִיל יֹפִי Ez. 28, 12. 27, 3, et מִכְלַל־יֹפִי Ps. 50, 2 de perfecta pulchritudine; חַכְלִילִי igitur: „fecit eum pulchrum quoad oculos præ vino". Eodem respexisse videntur LXX, qui vertunt: *χαροποιοὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτȣ̃ ὑπὲρ οἶνον* „lætifici sunt oculi ejus magis quam vinum", Vulgat: „pulchriores sunt oculi ejus vino", Arabs in Polygl. سرور العينين اكثر من الخمر „pulcher oculis magis quam vinum", qui omnes præterea מִן ante יַיִן et חָלָב particulam comparationis habent, quomodo multi etiam recentiorum accipiunt, ex. gr. Lutherus: „seine Augen sind röthlicher denn Wein, und seine Zähne weißer denn Milch"; Friedrich similiter, Versio Danica („han er rødere i Dinene end Viin og hvidere paa Tænderne end Mælk"), etc. Sed מִן hl. non est comparationis, sed autoris et causæ efficientis, qua indicatur, unde aliquid profectum sit, cfr. Job. 14, 9 מריח מים יפרח „ab odore aquæ revirescit", Hos. 7, 4 תנור בערה מאפה „fornax accensa a pistore", etc. qui sensus optime etiam cum argumento vss. 11—12, in quibus summa vini et lactis copia describitur, neque aliqua oculorum dentiumque Judæ pulchritudo, cohæret. עינים et שנים hl. absolute posita sunt, ut in lingua Græca accusativus subintellecto *κατα* sæpe occurrit, cfr. Ps. 101, 5 גבה־עינים ורחב לבב. Herder ultimum versum poetice reddit: „seine Augen glühn von Wein, seine Zähne glänzen Milch"; accuratius v. Bohlen: „Gedunkelt die Augen von Wein, und weiß die Zähne von der Milch". Absurdissime, toto simul ordine poetico perturbato, J. E. C. Schmidt[1]) v. 12 ad leonem in v. 9 comme-

---

[1]) Eins der ältesten und schönsten Idyllen des Morgenlandes 1 B. Mos. 49 c. Giessen 1793.

moratum refert, eam ob causam quod apud poetas *Græcorum*[1]) *nigri oculi* bellicæ virtutis symbolum interdum occurrunt.

In poetica vero hac descriptione singulas imagines non anxie esse urgendas, neque quærendum, num in tribu Judæ *vites* aliquando tantam habuerint firmitatem, ut illis *asini* adligari possent, num Judæi vestimenta *vino* laverint, quomodo *oculi* usu vini *caligantes* laudari possint etc. vix opus est ut moneamus. Hic est mos, quo poetæ in universum Orientales et usi sunt semper et adhuc utuntur, ut emphaseos causa audacissimas imagines coloresque vividissimos et hyperbolice dicta in themate suo exornando adhibeant. In talibus modo *consilium* poetæ considerandum est. Itaque nostro loco in imaginibus istis poeticis nonnisi *copia vini* et *abundantia pascuorum pecorumque multitudo*, quibus bonis tranquillitas regni populique felicitas in summo otio quiescentis optime describuntur, spectanda nobis sunt; quamdiu enim sæviunt bella vel metuuntur, nulla securitas civium, nullus agriculturæ ceterisque illis, quibus viget et floret patria, negotiis locus. *Militari* vero *Davidis* regno celebrato, *pacificam felicissimamque sub Schilo periodum* omni phantasiæ vi depingit poeta, qua „populis spontaneam præstantibus obedientiam, tam alta pace, tanta securitate gaudebit populus (Israelis), tantaque omnium bonorum affluet copia, ut, ubicunque unusquisque requieverit, asinum suum, quo

1) Cfr. Anacreont. Od. 29, v. 12 sqq.:

μέλαν ὄμμα γοργὸν ἔςω,
κεκεραςμένον γαλήνῃ,
το μὲν ἐξ Ἄρηος ἕλκον, etc.

solo et non belli animalibus opus fuerit, vel præstantissimis vitibus, quæ nusquam deerunt, adligare seque rivis vini et lactis ita immergere poterit, ut vestes in vino laventur et oculi faciesque vini, dentes lactis colorem trahant"[1]). Jucundum non minus quam utile est cum hac ævi Salomonæi poetica pictura seculi aurei, temporum Saturniorum conditionisque Paradisiacæ descriptionem apud Græcos et Latinos comparare[2]). Sic Strabo[3]) Calanum Indum quendam sophistam istud tempus hoc modo laudantem introducit: „olim omnia plena erant triticeæ et hordaceæ farinæ ut nunc pulveris, *καὶ κρῆναι δ'ἔῤῥεον, αἱ μὲν ὕδατος, γάλακτος δ'ἄλλαι, καὶ ὁμοίως αἱ μὲν μέλιτος, αἱ δ'οἴνȣ, τινὲς δ'ἐλαίȣ*". Similiter apud Ælianum[4]) Silenus in colloquio cum Mida tradidisse fingitur, in continente, extra notum tunc temporis orbem, duas esse urbes, magnitudine pares, ceteroquin dissimillimas, alteram *μάχιμον* bellicosam, alteram *εὐσεβῆ* piam apellatam, hujus cives *ἐν εἰρήνῃ τε διάγειν καὶ πλȣ́τῳ βαθεῖ*, in pace vitam agere et amplissimis divitiis; simul additur: *καὶ λαμβάνειν τȣ̀ς καρπȣ̀ς ἐκ τῆς γῆς χωρὶς ἀρότρων καὶ βοῶν, γεωργεῖν δε καὶ σπείρειν, ȣ̓δὲν αὐτοῖς ἔργον εἶναι*, etc. Imago illa a vini lactisque et fructuum abundantia petita sæpius in V. T. occurrit, ubi feli-

---

1) Venemæ sunt verba in libro citato p. 272; cfr. Abarbanel. l. c. „terra Judæ erit vineis abundans vinoque scatens instar fontis ac fertilis pascuorum boum ovinmque copiam lactis et casei præbentium, ita ut liget (aliquis) asellum suum ad vitem unam et ex ea ad satietatem comedat, et tamen in eadem vite tot relinquentur uvæ, quot asinus alius ferre valeat". 2) Cfr. Vitringam ad Es. 65, 21. 3) In Geogr. l. XV. p. 1012. 4) V. H. lib. III. c. 18.

cissima describitur pacis et fertilitatis conditio, cfr. Joel. 2, 19. 22. 24 (ומלאו הגרנות בר והשיקו היקבים תירוש ויצהר „plenæ sunt areæ frumento et redundant cupæ musto et oleo"), Am. 9, 13 (הטיפו ההרים עסיס וכל-הגבעות התמוגגנה „stillant montes musto et omnes colles diffluent" ɔ: in vini et olei humorem toti quasi resolventur), cfr. Joel. 4, 18 (יטפו ההרים עסיס והגבעות תלכנה חלב „. . . . et colles fluunt lacte"), Job. 20, 17 (אל-ירא בפלגות נהרי נחלי דבש והמאה „[impius] non conspiciet rivos, flumina, torrentes mellis et lactis"), Deutr. 33, 24 de Assero dicitur: טבל בשמן רגלו „tingat oleo pedem suum" ɔ: ita abundet oleo, ut eo pedes lavare possit, cfr. Deutr. 33, 28 (וישכן ישראל בטח בדד עין יעקב אל-ארץ דגן ותירוש אף-שמיו יערפו-טל „habitet Israel secure et solitarie habitetque fons Jacobi terram tritici et musti, etiam coeli ejus stillabunt ros") etc. Parallela ex scriptoribus profanis vide apud Bochartum[1]) (ex. gr. Ovidii: „flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant". Euripidis in Bacchis v. 142: *ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον, ῥεῖ δ'οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσῶν Νέκταρι* etc.) et Rosenmüllerum[2]). — Sine dubio præterea autor carminis nostri maximam Judæ regionis fertilitatem respexit. Totus enim ille, qui huic tribui concessus erat, tractus, qui inde a mari mediterraneo usque ad mortuum mare extensus maximam Palæstinæ partem capiebat, regionibus florentissimis, copia fructuum, frumenti, vini, pascuis pecori gratissimis excellebat, cujus rei testimonia in ipsa sacra scriptura haud pauca occurrunt, ex. gr. Es. 36, 17, ubi Rabsaces, exercitus Assyriorum dux, a rege Senacheribo

---

1) Hierozoic. P. II. l. IV c. 12. 2) Altes und Neues Morgenland. Tom. I. p. 263 sqq.

Hierosolyma missus, in oratione ad ministros Ezechiæ regis habita terram Judæ cum Asyria (de cujus regni fertilitate pæne incredibili vide Herodotum aliosque) comparatam vini, vinetorum, frugum plenam diserte nuncupat (לקחתי אתכם אל־ארץ כארצכם ארץ דגן ותירוש ארץ לחם וכרמים), cfr. nomina certorum locorum, quæ ob vinearum præstantiam inclyta sunt, ita ex. gr. laudantur vineæ Thimnatææ (כרמי תמנתה) Josv. 15, 10. 57. Jud. 14, 1. 5. 2 Chron. 28, 18 (cfr. Joseph. Arch. 5, 8. §. 5) vinumque Ascalonite & Gazense in Philistæorum regionibus, ad tribum Judæ pertinentibus; vineæ Engedi (כרמי עין גדי) in tribu Judæ, Cant. 1, 14 commemoratæ; vallis Eschol, cujus ipsum nomen (אשכל pr. racemus, botrys) copiam vini indicat, in tribu Judæ sita erat, (cfr. Deutr. 1, 24. Num. 32, 9), et Num. 13, 23—24 expressis verbis nomen accepisse traditur ab eximio illo uvarum racemo, quem exploratores Israelitarum inde secum in castra reportarunt, simul fertilitatem Canaanis magnopere laudantes, vid. v. 27, fluentis scilicet lacte & melle (זבת חלב ודבש) cfr. Ex. 3, 8; porro Gophna, urbs Judææ præclara, a גפן vite sic dicta, vallis itidem inter Ascalonem et Gazam interjecta Sorek, שרק, Jud. 16, 4, a vitium generosarum copia apellata, Beth Hacherem, בית הכרם, domus vineæ, cfr. Jer. 6, 1. Neh. 3, 14, oppidum Judæ in monte inter Hierosolyma et Thecoam[1]) situm; in urbe Iisreel (יזרעאל in tribu Judæ) vinea Nabothi fuisse narratur 1 Reg. 21, 1. Similiter Num. 13, 23 abundantia pomorum granatorum et ficuum commemoratur. Porro pascua exstitisse pinguia in tribu Judæ testatur

---

[1]) Cfr. Hieronymum ad Jer. 6, 1.

1 Sam. 25, 2, ubi sermo est de Nabale et de numerosis ejus gregibus in urbe Carmel[1]) (כרמל a כרם hortus, vinea) ad mare mortuum sita, cfr. Deutr. 8, 8. 32, 13. 1 Sam. 14, 25—26. Ps. 81, 17, ubi fertilitas totius terræ Canaanis celebratur. Apud Josephum[2]) Hecatæus Abderita Judææ prædicatum τῆς ἀρίςης καὶ παμφορωτάτης χώρας, „optimi et omnium feracis soli", tribuit, et ipse Josephus[3]) eam fertilem esse dicit, in specie armenta ejus propter boni graminis copiam ibi magis quam alibi esse γαλακτοφόρα affirmat atque Jerechuntinum et Hierosolymitanum agrum reliquis omnibus fertilitate antecellere contendit, quod idem, imprimis vinearum respectu, J. Phocas[4]) tradit. Addimus verba Taciti[5]) de Judæa: „uber solum, fruges nostrum ad morem, præterque eas balsamum et palmæ". Etiam hodie in hisce regionibus magnam esse uvarum copiam ostendit Rodzwil[6]), cfr. testimonia Brocardi[7]) et Cotovici[8]), qui ipsi in terra sancta itinera fecerunt. Ex uvis regionis Judæ excellentissimis hodie egregius illa rosarum siropus coquitur, qui in Ægyptum vendendus mittitur[9]). Ceterum non mirandum, Palæstinam tot bellis per omnia secula devastatam, Assyriorum, Arabum, Romanorum, Christianorum, Sultanorum Ægypti, Turcarum tandem tyrrannide oppressam, hodie longe aliam præbere faciem, quam illis felicissimis temporibus, de quibus noster loquitur poeta.

---

1) Vid. Relandi Palæstinam p. 695. 2) Contra Ap. lib. I. c. 23.
3) Bell. Jud. lib. 3, c. 3. 4) Symmict. L. Allat. c. 14.
5) Histor. lib. 5, c. 6. 6) Peregrinat. Hierosolym. p. 47.
7) Descript. terræ Sanctæ c. II. 8) Itiner. lib. III. c. I.
9) Cfr. Rosenmülleri Altes und Neues Morgenl. II p. 251.

„Quid mirum", ait Rosenmüller[1]), „regionem illam ruinis ac arenis locorumque asperitate nunc horridiorem esse, si cogitemus, eam tamdiu in potestate barbarorum fuisse, perpetuisque Arabum incursionibus expositam? Pleræque Turcarum sub dominatu regiones, omnium quondam amoenissimæ, passim incultæ jacent. Sed nequaquam Palæstinæ facies ita est mutata, ut nulla amplius vestigia veteris fertilitatis appareant. Plures eorum, qui recentiori ætate eam terram inviserunt, in petris hodie incultis vestigia adhuc exstare confirmant, e quibus, eas petras olim fuisse fructuosas, luculenter colligi possit; nam rudera in illis adsunt murorum eum in finem exstructorum, terra de petris ne ablueretur, unde petras vitibus fuisse consitas elucet"[2]).

Denique quod hic cecinit de futura regni Salomonei felicitate egregius ille vates, ex cujus calamo pulcherrimum hoc poema fluxit, eventu comprobatum esse, historia satis superque docet. Ipse sapientissimus ille rex per legatos ad Hiramum, regem Tyri, missos tranquillitatem et pacem regni sui laudat 1 Reg. 5, 18: „beneficio Jehovæ", ait, „otium undique nactus sum, neque ullus adversarius, neque hostis mihi est (הניח יהוה אלהי לי מסביב אין שטן ואין פגע רע"). Tanta etiam fuit securitas terræ sanctæ ac fertilitas soli, Salomone regnante, ut autor historiæ regum in ea describenda tradat Judam & Israelem (ɔ: totum populum) tranquille sub vitibus

---

1) In Scholiis ad Ex. 3, 8. 2) Cfr. Rosenmülleri Handbuch der bibl. Alterthumskunde. Vol. II. P. I. p. 237 sqq. Alt. u. Neu. Morgenl. P. I. p. 264 sqq. Relandi Palæstina (edit. Nürnberg.) p. 212. Chateaubriand: itinéraire de Paris à Jerusalem etc. Tom. II.

et ficubus sedisse (וישב יהודה וישראל לבטח איש תחת גפנו ותחת תאנתו) 1 Reg. 5, 5, arenam maris numero æquasse, epulis et gaudiis deditum, cfr. 1 Reg. 4, 20. Celebratur potentia Salomonis, incredibiles ejus divitiæ (cfr. 1 Reg. 4, 1—19. 21—25. 26—28. 1 Reg. 7 c. etc.), sapientia, cujus fama per totum percrebuit Orientem (cfr. 1 Reg. 10, 1—13), ita ut nomen Salomonis omnibus populis vel remotissimis esset percognitum (cfr. 1 Reg. 5, 10—11. 14). Per totos quadraginta annos sceptrum tenuit, nullo bello pacem patriæ perturbante, ab exteris honoratus, a civibus adoratus, neque post mortem ejus civitas Judæorum unquam similem consecuta est felicitatem ac gloriam, ita ut ævum hujus regis aurea populi Israelitici periodus, ad quam postea semper magno desiderio respiciebant, quam redituram nunquam non vehementer sperabant, pleno jure habitum sit. Quamobrem, cum neque sub regibus sequentibus, neque sub Macchabæis tempus inveniri possit, cujus prosperitas cum splendore et felicitate regni Salomonei comparari mereatur, aut de recta carminis nostri interpretatione omnino desperandum, aut fatendum, in solum Salomonis tempus vaticinium poetæ quadrare deque hoc solo explicari non solum posse, sed etiam debere. Quam bene autem, hacce hypothesi admissa, in nostro carmine omnia cohæreant, quam facile fluant, ex commentario nostro satis probatum esse confidimus [1]).

---

[1]) Cfr. Friedrich: der Segen Jacobs, eine Weissagung des Propheten Nathan, etc. p. 50—90.

II.

Transeamus jam, ut nobis proposuimus, ad diversas, quæ magno numero prolatæ sunt, v. 10mi interpretationes enixe recensendas et examinandas. Constat, hunc versum ab eo inde tempore, quo versiones et commentarii in V. T. exstiterunt, ad nostros usque dies difficillimis in Sacro Codice locis adnumeratum semper fuisse et per omnia secula veram interpretum crucem habitum. Causa vero hæc fuit, quod exierunt omnes, qui locum hunc explicare conati sunt, ex prava illa opinione, carmen istud, quod exhibet caput XLIX libri Geneseos, ab ipso Jacobo compositum et ultimo vitæ momento verbotenus pronunciatum esse. Inde autem sequitur, quæ de singulis afferantur filiis patriarchæ, quum non ad ipsos, sed ad tribus ex illis oriundas aperte pertineant, ea singula esse vaticinia sensu strictissimo, quæ justo tempore completa fuerint necesse est, et sic interpretes loco recto, unde res adspicienda erat, moti, a priori jam non potuerunt, quin false et perperam totum carmen et præsertim illam ejus partem, quæ Judam celebrat, explicarent. Huc accedit vox illa mystica et arcana שִׁילֹה, hoc solo loco obvia, quam ex præconcepta opinione omnes fere Messiam indicare putarunt, unde iterum factum est, ut hanc sententiam probaturi ad miras omnino, contortas, immo stultissimas explicationes cogerentur confugere. E contrario multi Rabbinorum, Christianos impugnantes, quibus v. 10mus inter gravissima de Messia vaticinia semper referebatur, polemico studio ducti,

singula verba in oppositam partem misere torserunt. Hinc tanta sententiarum exstitit diversitas, „ut ad summam vix referri, multo minus conciliari queant" (Aurivillius)[1]). De sola voce שִׁילֹה, quæ philologorum non minus exercuit ingenia quam mathematicorum quadratura circuli[2]), et de toto versu decimo, præter commentarios in totam benedictionem Jacobi, tot specimina, exercitationes, commentationes, explicationes etc. conscriptæ sunt, ut vires excederet humanas, omnia, quæ huc pertinent, scripta perlegere, immo ea solum citare et nominare, idem esset ac copiosæ bibliothecæ catalogum exhibere. Permulti interpretes, de omni in explicando hoc loco successu desperantes, שִׁילֹה ceu *μορμολύκειον* aliquod reformidarunt. Sic Gabriel a Costa questus est: „in hac voce tot tamque varia ab Hebræis & Latinis simul et Græcis proferri, ut omnem pæne mentem confundant". Salmeron שִׁילֹה Hebraice nil significare putat, nec de ejus origine constare censuit Morinus[3]). Alii denique, re tota in medio relicta, lectoribus optionem faciunt eligendi, quæ placuerit, sententiam. — Nos autem, cum nobis propositum sit, hic diversas interpretum de celeberrimo hoc loco sententias pro viribus perlustrare, certum, quatenus fieri potest, ordinem sequemur, ne in tanta explicationum et opinionum sibi oppositarum frequentia hæreamus perturbati, et sic ab ipsa voce שִׁילֹה, ex cujus significatione omnia pendent, nobis incipiendum est.

---

1) Cfr. ejus Dissertationes etc. p. 241. 2) Cfr. Heinrichs. de autore atque ætate cap. Gen. XLIX comment. Goett. 1790. p. 26 not. 29. 3) Explanationes sacræ et philol. in aliquot V. et N. T. loca. Leyden. 1698.

Ante omnia lectionem hujus vocis, quam nostris præsertim temporibus haud pauci labefactare sunt conati, trutina pensemus critica, necesse est.

A. Negant enim multi voci, de qua agitur, justas appositas esse vocales & pro שִׁילֹה legere jubent שֶׁלֹּה, ex præfixo שֶׁ pro relativo pronomine אֲשֶׁר et ה׳ suffixo pro ו compositum, ita ut *oratio elliptica* hl. admittenda sit: „usque dum venerit is cui", sc. sceptrum et imperium est s. debetur, ad quem pertinet illud sceptrum, de quo in primis v. 10 membris loquitur poeta; hoc modo J. D. Michaelis[1]): „bis der kommt, dem es gebührt", de Wette[2]), v. Bohlen in versionibus suis. Lectio ipsa שֶׁלֹּה, a Jahn[3]), omni eruditione adhibita, defenditur, ab Hess, Krummacher, J. D. Michaeli, de Wette, v. Bohlen aliisque laudatur. Quæ pro ea afferuntur argumenta, hæc sunt.

1) Primum gravissimumque petitum est a versionibus antiquis, quæ omnes, solo Vulgato excepto, שֶׁלֹּה o: אֲשֶׁר לוֹ exprimunt. Scilicet: a) LXX locum nostrum sic reddunt: *ἕως ἐὰν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ*: „donec veniant, quæ ipsi reposita sunt" (bis kommt das was ihm bestimmt ist, v. Bohlen), quæ lectio rectior sine dubio est, quam altera illa, quæ passim occurrit, *ᾧ ἀπόκειται*: „is cui repositum est" (bis kommt der, dem es bestimmt ist[4]), v. Bohlen). b) Aquila et Sym-

---

1) Deutsche Uebersetzung des A. T. P. II. p. 132. 2) Die Schriften d. A. T. übers. von Augusti & de Wette T. I. p. 110. 3) Einleitung ins A. T. T. I. p. 507 sqq. & Vaticin. Messian. II. p. 179 sqq. 4) *τα αποκειμενα αυτω* in plerisque codicibus et omnibus fere editionibus, apud patres Justin. Martyr. Origenem, Eusebium, Basilium, Athenagoram, Augustinum etc., cfr. Julianum apud Cyrillum Alex. T. VIII. p. 253 legitur, cfr.

machus habent ἕως ἐὰν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται, Theodotion, teste Eusebio[1]) τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. c) Syrus in Polyglottis editus ܡܢ ܕܝܠܗ ܗܘ „is cujus illud est", cum quo conspirat codex Sancti Ephraemi ܗܘ ܕܝܠܗ „ille cujus est principatus". Inedita versio Syriaca ex Peschito et LXX mixta, quam continet codex Syrus 7mi seculi[2]), utriusque lectione conjuncta, legit ܗܘ ܕܡܣܝܡ ܠܗ ܕܝܠܗ ܗܘ „is cui constitutum est, cujus est"[3]). d) Versio Arabica Saadiæ in Polyglottis excusa: الذي هو له „is cujus ipsum est", cum quo congruit textus CPolitanus, et Arabicus codex a Durello productus, qui ut de Rossi[4]) opinatur Saadianam complectitur. — Omnes hosce interpretes hoc voluisse: „donec veniat is, cui imperium s. sceptrum repositum est", vix est quod dubitemus, etsi fatendum, Syrum et Arabem nimis obscure hunc sensum expressisse. e) Clarius Onkelos reddit:

Holmes. Vet. Test. Græc. cum variis lectionibus. Oxon. 1798. T. I. Lectionem ᾧ ἀπόκειται præferunt ex ms. Oxoniensi, Justino aliisque patribus Grabius (in Repert. or. T. IV. p. 20), Stroth (Beyträge zur Kritik über die LXX, aus Justin. dem Martyr u. andere Kirchenvät. ibidem II. p. 95—96) al. cfr. Nobil. Not. in vers. LXX, Jun. Annot. in hl. [1]) Eusebius (Demonstr. Ev. L. VIII) tradit, Theodot. ut LXX vertisse τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. Verba ejus sunt: ουδε προτερον παυσονται τȣ Ιȣδαιων εθνȣς αρχοντες και ἡγȣμενοι η την των εθνων προσδοκιαν ελθειν και τα αποκειμενα τω προφητευμενω. ταυτα δε ὁμοιως τοις Ἑβδομηκοντα και ὁ Θεοδοτιον ἡρμηνευσε (cfr. Gulcher. Explic. nov. et facil. loci Gen. 49, 10. Lips. 1771). [2]) Cfr. Journal des Savans a 1765. [3]) Cfr. Norbergii Specimen. in Michaelis Biblioth. or. Tom. XVIII. p. 183. [4]) Variæ lectiones Vet. Test. etc. Parmæ 1788. T. IV p. 217 sq.

עד־דייתי משיחא דדיליה היא מלכותא „donec veniat Messias, cujus est regnum", et Targum Hierosolymitan. [1]), quod idem fere habet עד זמן דייתי מלכא משיחא דדידיה היא

---

1) Buxtorfius quidem (in Anticrit. p. 714), cui assentit Rosenmüller, Targumistas hosce שִׁלֹה explicasse negat: „vox enim שִׁילֹה, ait, cum Jod scripta illum legendi modum non admittit; sic autem constanter scribitur in omnibus libris, sic etiam olim legerunt Talmudici, ut ex iis liquet. Sic in libro Zohar scribitur diserte, alibi legi שִׁילוֹ cum Vau, alibi שִׁלֹה sine Jod, hic vero cum י et ה in fine, ad indicandum nomen divinum יָהּ. Masora etiam hanc lectionem confirmat. Deinde versio Onkelosi id non evincit; est enim paraphrastica, et latior unius vocis explicatio, in quibus sæpe non tam literalis, quam mysticus aliquis sensus inclusus est. Ego dico, Onkelosum primo reddere voluisse in hac versione vocem שִׁילֹה, deinde adjunxisse ulteriorem declarationem. Vocem שִׁילֹה reddidit משיחא Messias, dum ait: donec veniat Messias. Veteres Hebræi enim hoc nomen שִׁילֹה inter nomina Messiæ retulerunt, ut in Talmud in Perek Chelek, in Bereschith rabba et in aliis videre est. Itaque משיחא est explicatio nominis שִׁילֹה, quia שילה זה המשיח Schilo est, Messias. Quæ sequuntur, vel honoris causa erga Messiam sunt addita, sicuti vulgo eum מלכא משיחא Messiam regem vocant, vel aliam et arcanam vocis ejusdem mysticæ explitionem continent, desumtam vel ex arte Cabbalistica נוטריקון, qua alluditur in שִׁילֹה ad שֶׁלּוֹ, quasi nempe שִׁילֹה ideo dicatur, quia ejus sit regnum, vel ex ראשי תיבות ratione scribendi per abbreviaturas, ac si שִׁילֹה diceretur Messias שיש לו המלכות cujus est regnum". Sed hisce Hengstenberg (Christologie des Alt. Test. p. 65) recte objicit, quod si negari nequeat, reliquas antiquas versiones שִׁלֹה expressisse, idem fecerint duo illi Targumistæ necesse sit, quæ præterea sententia longe facilius et simplicius ex verbis ipsorum se offert interpreti.

מלכותא „usque ad tempus, quo veniet rex Messias, cujus est regnum". f) Versio denique **Arabico-Samaritana, Barberina**, qui vertit: ࠌࠎࠕࠇࠒࠄ مستحقه **dignus eo, seu verius is cui jure competit**[1]).

2) **Herodianorum** secta apud Epiphanium[2]) locum nostrum de Herode Magno interpretata est, utpote cui **destinatum fuerit sceptrum**, unde concludit **Michaelis**[3]), Judæos ipsos Palæstinenses tempore Herodis legisse שִׁלֹּה.

3) **Justinus Martyr**[4]) Tryphonem et **Epiphanius**[5]) Herodianos refutando Judæis interpretationem

---

1) Biörnsthal **Lettre** in Fabricii **Titres primitifs**. Tom. I. p. 376. Hwiid. **Specimen ineditæ versionis Arab. Sam.** p. 38, et ad hujus calcem Georgii **epist.** p. 36. 2) Adv. Hæres. L. I. Hær. 20 adv. Herodianos: *επει-εξ αλλοφυλων ὄντος (Ἡρωδης) βασιλευει, κατα διαδοχην δε διηρκεσεν απο τȣ Ιȣδα και απο τȣ Δαβιδ το βασιλειον, και οἱ εκ τȣ Ιȣδα αρχοντες και Πατριαρχαι, μετεςη δε το βασιλειον εις αλλοφυλον, πιθανον εδοξεν* (sc. *τοις Ἡρωδιανοις*) *εν τη ὑποληψει των πεπλανημενων, το απατηθηναι και νομισαι αυτον Χριςον ειναι, απο της ακολȣθιας τȣ προειρημενȣ ῥητȣ, τȣ, ȣκ εκλειψει αρχων εξ Ιȣδα, ἑως αν ελθη ᾡ αποκειται. ὡς ειναι τȣτο παρ᾽ αυτοις νοητεον, ὁτι τȣτω απεκειτο, φησιν. εξελιπον γαρ εκεινοι, και ὄντος ȣκ απο γενȣς τȣ Ιȣδα, αλλ᾽ ȣτε ὁλως τȣ Ισραηλ ὑπαρχει. τȣτω δε απεκειτο ειναι Χριςον.* 3) Cfr. Orient. und exeget. Bibliothek T. IX. p. 218. 4) Dialog. cum Tryph. Jud. c. 120 p. 213 (ed. Prud. Marani, Hagæ Com. 1742): *φησι γȣν και εν τω Ιȣδα, ȣκ εκλειψει αρχων εξ Ιȣδα, και ἡγȣμενος εκ των μηρων αυτȣ, ἑως αν ελθη τα αποκειμενα αυτω, και αυτος εςαι προςδοκια εθνων. — — δυνατον δε ην μοι, ω ανδρες, μαχεσθαι προς ὑμας περι της λεξεως ἡν ὑμεις εξηγεισθε, λεγοντες ειρησθαι, ἑως αν ελθη τα αποκειμενα αυτω· επειδη ουχ ὄυτως εξηγησαντο οἱ ἑβδομηκοντα, αλλ᾽, ἑως ελθη ᾡ αποκειται.* 5) Cfr. l. c.

τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ aut ᾧ ἀπόκειται secure objiciunt, nulla facta varietatis codicum mentione.

4) Accedunt ipsorum Judæorum pro שִׁלֹה testimonia: a) Bereschith Rabba apud R. Salomonem ben Melech nomen controversum sic explicat מי שהמלכות שלו ille, cujus imperium proprium est. b) Tanchuma, antiquissimus et ipse commentarius in Pentateuchum, similiter: שהמלכות שלו. c) R. Salomon Jarchi[1]), qui habet שהמלוכה שלו cujus proprium est regnum. Cum Jarchio conspirat mss. Lexicon cod. Rossiani 637, explicans משיח שהמלוכה שלו.

5) Provocant porro ad Ezech. 21, 32; ubi antiquissimum, ex tempore scilicet exsilii Babylonici, pro sua sententia argumentum inveniri putant fautores lectionis שִׁלֹה; hic enim Jehova loquens introducitur: „ad nihilum redigam coronam Judæ, donec veniat is cui judicium" ɔ: summum imperium: עד־בא אשר־לו המשפט, quibus verbis Ezechiel ante oculos habuisse שִׁלֹה nostro loco illudque clarius exposuisse contenditur.

6) Affertur denique pro lectione שִׁלֹה scriptio שלה sine Jod. Huc pertinent: a) textus Samaritanus, qui ࠔࠋࠄ habet, omnibus mss. codicibus consentientibus[2]); b) versio Samaritana, quæ ipsa ࠔࠋࠄ retinet; c) versio Arabico-Samaritana, Usserii[3]), quæ سليمان Salomon vel pacificus vertit; d) qua-

---

[1]) Cfr. de Rossi l. c. „obiter nota ita legere Jarchium in mss. editisque omnibus, quotquot ad manus habeo codicibus, qui sane plurimi sunt, non אשר המלוכה, ut citat Schulzius Lex. hebr. p. 1476. [2]) Cfr. Epist. Sam. 3tiam ad Job. Ludolph. Cfr. Cellarii Dissert. acad. p. 143, et Bruns. Repert. or. T. XIII. p. 281, et separ. edit. Helmst. p. 8. [3]) vid. p. 85 n. 1. nostr. dissert.

draginta optimi codices [1]), qui שלה sine Jod tuentur, scilicet Kennicottiani viginti quinque, 1, 9, 18, 84, 132, 136, 158, 176, 211, 226, 401, 404, 411, 448, 464, 481, 489, 562, 602, 608; 611, 615, 631, 636, nunc 170; et Rossiani quatuordecim: 10, 257, 265, 444, 543, 688, 716, 952, primo 16, 196, 500, 554, 850, 1164; hisce accedit unus codex 1248, qui שלו exhibet, et duo 716 et 998, qui eandem lectionem ut Kri seu marginalem textualis emendationem habent; e) Biblia Polyglotta Sanctandreana anni 1586, in quibus defectiva illa scriptio exstat; f) in Talmude Babylonico Tract. Sanhedrin c. XI, seu Chelek, familiares R. Silæ defectivam lectionem producunt [2]); g) plures denique Rabbinorum eam tuentur, ut Salomon Jarchi in binis codicibus Rossianis 562 et 592, R. Nathan in concordantiis hebraicis, R. David de Pomis in צמח דוד seu Lexico hebræo-italico fol. 211. In Medras Echa rabbadi (folio 58 b edit. Venetæ 1545) traditur: „Schiloh esse nomen Messiæ, quia dictum est עד כי יבא שילה שלה כתיב donec veniat Schilo, שלה Chetib, seu textualis lectio est sine Jod; quod idem teste Norzio in notis ad hl. scribit autor מתנות כהונה Mathanoth chehunah שלה כתיב חסר יוד קרי ביה שלו lectionem textualem esse שלה sine Jod, Kri vero שלו [3]).

---

1) Cfr. Benj. Kennicotti Diss. gen. in V. T. etc. Oxon. 1776. Vol. I—II. De Rossi. Var. lectt. etc. T. IV. p. 217 et Scholia critica in V. T. etc. p. 8. 2) Cfr. Cocceji: duo tituli thalmudici Sanhed. et Maccoth p. 359. 3) Cfr. de Rossi l. c. p. 218—219: „alii codices, sed paucissimi, legunt שילו per vav, ut Kennic. 474, mei 274, 699, Medras rabboth fol. 62 edit. Ven. 1545, et Tanchuma ex edit CPolit. 1528, quamquam in cod. meo 261 hujus libri legatur per he. Keri

Lectionem שֶׁלֹה tot luculentissimis testibus totaque fere antiquitate quum comprobatam habeant, non mirum, si multi ex hodiernis criticis [1]) communi prætulerint, eoque minus, quo præsidia Masorethicæ lectionis nec tantæ multitudinis sunt, nec tantam autoritatem habere videntur. Pro שילה stant plerique codices Judaici, Arabs Mauritanus Erpenii, qui سيلا habet, versio Græca codicis Veneti S. Marci [2]), quæ Σιλων legit, Pseudo-Jonathan, qui, dum vertit זעיר בנוי parvulus filiorum ejus, plene legisse שילה (a שיל deductum, de qua derivatione vide infra) videtur. „Nec Samaritanis ignota est hæc lectio; autor enim Samaritani Commentarii in Genesin, cujus excerptum

---

שילו ad margin. exhibent Kennic. 344, ac mei 233, 476, quibus addendus 721, qui habet שילו ק׳ Keri שלו sistunt mei 716, 998, et auctor Mathanoth chehunah supra productus. Immo in Soncinensi editione Jarchiani Commentarii in Pent. anni 1487 lectio ipsa שלו producitur ut lectio sacri textus ובמדרש אגדה שלו שי לו et in Medras agada שלו exponitur duobus verbis: munus illi, dissentientibus tamen reliquis omnibus vel fere omnibus Jarchii codicibus et editionibus". 1) Cfr. præter autores p. 82 nostr. dissert. allatos Grabium in Observ. in Gen. XLIX in Repert. Or. Tom. IV. p. 22; Houbigant. Not. crit. in hl. Tom. I. p. 63; Gulcher. Explic. nov. Gen. XLIX, 10; Dathium Not. in Pent. p. 219. Schultz. Schol. V. T. T. I. p. 319; cfr. et ejusdem Lex. hebr. p. 1476; Hufnagel in Repert. Or. T. XIV. p. 240 etc. 2) Nova versio Græca Proverbb. Eccl. Cant. Ruth. Thren. Dan. et selectorum Pentateuchi locorum ex unico S. Marci biblioth. codice Veneto etc. illustr. a Bt. Csp. d'Ansse de Villoison. Argent. 1784. 8. Vide Adleri excerptum in Michaelis Bibl. Or. T. XVI. p. 187. Cfr. Nov. vers. Græc. Pentateuchi etc. ed. atque rec. C. F. Ammon. Erl. 1790—91.

vel specimen in hoc caput ex ms. Huntingt. 301 arabice et latine edidit Schnurrer, bis legit שילה cum Jod, et in hac eadem litera mysterium quærit: الى يقوم שילה وهو الذى يغير الشريعة donec oriatur Schiloh seu is qui mutabit legem, et infra وسماه שילה من של وهو رفعة الحق واليا علامة الاسم appellatque illum Schiloh a שַׁל, seu ablatione juris. Littera autem jod est signum nominis". (De Rossi).

Nimis autem fidenter in lectione vulgata שִׁילֹה removenda et שֶׁלֹּה recipienda criticos egisse, alii ostenderunt, jure illis objicientes: a) minime licet ex versionibus supra allatis concludere, antiquos illos interpretes in suis codicibus vere legisse שלה o: שֶׁלֹּה et hanc fuisse lectionem istis temporibus vulgo receptam. Ex innumeris enim exemplis satis probatum est, eos in vertendo textu Hebr. maximam sibi permisisse libertatem, unde igitur rectius hoc concludendum, eos ante oculos nostrum quidem habuisse שילה s. defect. שלה, sed, cum derivationem ejus ignorarent, illud accepisse ut שֶׁלֹּה o: אֲשֶׁר לוֹ. Quod si est, autoritas veterum versionum, ut recte monet Hengstenberg[1]), haud majore affertur jure, quam recentiorum, obstantibus præterea omnibus illis, quæ in universum lectionem communem sine necessitate mutandam dissuadeant. b) Quod porro attinet ad Herodianos Rabbinosque illos, qui שֶׁלֹּה explicarunt, majorem autoritatem iis tribuere non possumus[2]), quum sine dubio absque omni crisi LXX et Targumistas, Onkelosum sc. et Hierosolymitanum, secuti sint, solitam sui ævi interpretationem exhibentes. c) Frustra deinde provo-

1) Christologie des Alt. Test. P. I. p. 66. 2) Cfr. Riveti exercit. p. 178. Capelli Critic. lib. 5. c. 2.

cant critici ad codices illos Rabinosque, qui שלה sine Jod legunt, qua lectione nil aliud probatur, nisi quod scriptio sit manca sive defectiva, in similibus formis frequentissima, ex. gr. שיחור et שחור (cfr. p. 46) etc. quæ eadem varietas in nomine proprio urbis Schiluntis, שילה, reperitur. Præterea illa codicum diversitas solas literas consonas respicit; in vocalibus nulla est eorum discrepantia; in nullo codice, quotquot hodie nobis præsto sunt, שלה juxta lectionem שֶׁלֹּה exstat, omnes autem שִׁילֹה legunt, quæ lectio etiam in omnibus editionibus typis excusis exprimitur. Jam vero si שֶׁלֹּה genuina esset lectio, quomodo factum est, ut nusquam ita legatur? Constat, Judæos summa cura, immo religiositate textum sacræ scripturæ contra omnes sive in literis consonis, sive in vocalibus depravationes conservasse, et ne minimam quidem mutationem, gravissimis etiam suadentibus rationibus, in ipso textu admittere ausos fuisse. Absque igitur omni hæsitatione Masorethis, qui in שִׁילֹה servando vulgarem secuti sunt lectionem, fidem habemus. Nec multum nos movet, quod monent nonnulli [1]), Judæo-

---

[1]) Cfr. Gulcher. (explic. nov. et facil. loci Gen 49, 10. Lips. 1774): „quid enim? si vulgata lectio שילה nihil esset, nisi diversa orthographia sive scriptio pro שֶׁלֹּה, tum sane tuendæ, quam rejecimus, lectioni nihil omnino superforet. Ut autem illud nobis vero videatur simillimum, facit hoc, quod vel Judæorum magistri nonnulli, qui absque dubio in codd. suis scriptum habebant שילה, tamen non aliter interpretantur, ac si scriptum fuisset שֶׁלֹּה (ut Raschi, al.). Novimus autem Judæis fuisse in more positum το dagesch forte itemque segol et tzeri per eam, quam vocant matrem lectionis Jod exprimere, atque Cl. Michaelis nuper docuit, hanc orthographiam in scriptis Rabb. & Chaldd. frequentari solitam (cfr. Bibl. or. et exeget.

rum magistros pro Dag. forti & Segol interdum posuisse matrem lectionis Jod, et sic nostrum שִׁילֹה nil aliud esse quam diversam scriptionem pro שֶׁלֹּה; hic enim scribendi modus longe serioris temporis est et in V. T. non occurrit. d) Quod deinde ad Ezech. 21, 32 attinet, breviter observamus, hic, cum nulla adsit ellipsis, sensum omnino perspicuum esse; Ezechielem nostrum locum respexisse arbitrarie contenditur; quod etiam si concederetur, inde solum, prophetam nostri loci paraphrasin dedisse et in suum tempus obscura illa poetæ verba applicasse sequeretur. e) Denique שֶׁ ut præfixum pro relat. pron. אֲשֶׁר in Pentateucho nusquam reperitur, quod argumentum per se quidem non multum valet, quum, etsi in serioribus libris frequentius occurrit, jam in antiquissimo illo Deboræ cantico Jud. 5, 7 (cfr. Jud. 6, 17. 7, 12. 8, 26) inveniatur, sed, quod majoris est momenti, ellipsis, quæ in שֶׁלֹּה admittitur, nimis dura et vix ferenda, neque analogo aliquo exemplo talis locutio commendari potest [1]). — Hæc sunt gravissima argumenta, quæ nos impediunt, quominus a communi lectione שִׁילֹה recedamus.

B. Vulgatus quum שילה exponat: „qui mittendus est", Capellus [2]) putat eum legisse שָׁלוּחַ: missus, part. pas. a שָׁלַח misit, vel ut alii volunt, שְׁלֻחַ: missio, legatio ad dona ferenda pacemque obtinendam [3]), cfr. Mich. 1, 14. 1 Reg. 9, 16. Verosimilius autem est, eum, permutatis gutturalibus ה & ח, legisse

---

Tom. II. p. 194, 202, 237—239 sqq.)". Cfr. de Rossi var. lect. V. T. etc. Vol. IV. p. 219. 1) Cfr. Stange theol. Symm. II. p. 238 sqq. 2) Critic. L. 5. c. 9. 3) Cfr. Herder: Briefe das Stud. der Theol. betreffend. P. I. p. 60.

שִׁילֻחַ s. שִׁלֻּחַ (cfr. p. 46), quo *Χριςὸν ἀπεςαλμένον* (Joh. 9, 7), cfr. Matth. 10, 40. Marc. 9, 37. Luc. 10, 16. Joh. 3, 17. 34 sine dubio intellexit. Ante vero emendationem textus, juxta LXX habuit Vulgatus, teste Hieronymo [1]) (in Ezech. lib. 5, ad Ez. 17, 22) „cui repositum est". Catholici, qui Vulgatum clausis oculis sequuntur (cfr. ex. gr. Dietemberger: „bis daß, der so gesandt soll werden, komme" etc.), locum nostrum a Judæis corruptum esse contendunt, ut pro pristino et genuino שילח: missus ɔ: mittendus ab iis substitutum sit שִׁילֹה, ita Eugubinus, Cornelius a Lapide, Jac. Bonfrerius ad hl. A. Costa, qui libere profitetur: „utcunque sit, nos sequimur vulgatam editionem", contra codices, Sohar, Talmud, Masoram corruptionem istam post tempora Hieronymi factam esse adserit. Ad quod Pontificiorum principium notissimum: „ubicunque Vulgata Translatio a textu originali discrepat, ibi hic corruptus, illa vero sequenda est", optime Danhaverus [2]) observat: „scilicet sol ordinem suum neglexit, quia horologium aberravit!" Hoc vero in Catholicis non insolitum. Sed jure miramur, quod ipsi Hugoni Grotio [3]) Vulgatus hl. placeat: „mihi", inquit, „se maxime probat versio Latina, ut sit שִׁילֹה pro שָׁלֻחַ, quid enim facilius, quam aut variante dialecto, aut scriptura aberrante mutari inter se litteras tam vicinas et sono et figura". Immo ne Flacius quidem ab isto Catholicorum opinione multum

---

1) „Defecerat", ait, „princeps de Juda et dux de Israel, donec veniret, cui repositum est" etc. Cfr. eadem fere in epist. 108 ad Eustoch. (Opp. T. I. p. 693 ed. Veron. 1724). In Quæstt. et Tradd hebr. in Genesin locus noster, quod miramur, non legitur. 2) Hod. Chr. p. 831. 3) Annotatt. ad hl.

abhorret, cum dicat: „porro ego, si primam non amplecterer, mallem amplecti Hieronymi expositionem atque dicere, tempestate ipsius scriptum fuisse שִׁילֹחַ Schiloach; postea vero, quod cum Judæi hac et similibus vocibus a Christianis urgerentur, nec haberent, quod respondere possent, pro malitia et pervicacia sua depravasse, facta literarum mutatione". Præterquam vero quod talis depravatio textus a Judæis commissa criticis argumentis probari nequeat, cum ex codicibus superstitibus in hl. diligenter collatis nullus sit, qui huic lectioni suffragetur, non intelligitur, quid ea lucrati essent Judæi, cum ipsi præsertim veteres ultro Schiloh esse Messiam fateantur[1]).

C. Alii, qui שלה retinent, aliter vocales apponunt. Sic nonnulli שֹׁלֵה legunt et explicant: „imperator", ut Schöttgenius[2]). Aliis שֹׁלֵה pacificus est. Alii שֹׁלֹה o: שְׁלָהוּ usque dum veniat præda ejus exponunt, ex arab. شل, unde Hebr. שלל et antiquum illud שׁל, derivantes. Quæ quidem meræ hypotheses sunt, attentione parum dignæ.

Plerique etiam vulgatam lectionem שִׁילֹה præferunt, sed in vi ejus et significatione explicanda quam maxime inter se dissentiunt, in diversissimas abeuntes partes.

A. Ex illis permulti שילה vocem habent compositam. Disputant hi de elementis, quibus constet שילה.

---

1) Cfr. Edzard. Jacobi Patr. de Schilo vaticinium etc. p. 103—105. Glassii Phil. Scr. L. I. Tr. I. p. 50 sqq. Calovii Bibl. Illustr. hl. B. Waltheri exercit. Bibl. p. 21. Dan. Chamieri Panstrat. Cath. T. I. l. 12. c. 12. § 56 sqq. Sixt. Anamæ Censur. Vers. Vulg. etc. p. 281. Hottingeri Th. Phil. p. 171. Buxtorfii Anticrit. p. 769. De Rossi Varias lectt. etc. Vol. IV. p. 219. 2) In dissert. VII. Horis ejus Ebr. et Talm. adjecta.

1) Plurima suffragia eorum tulit sententia, qui שִׁילֹה compositum volunt ex שִׁיל: infans tenellus, embryo, et ה׳ suff. pro ו׳ vertuntque: donec veniat filiolus ejus sc. Judæ ɔ: κατ' ἐξοχὴν Messias; שִׁילֹה igitur = בְּנוֹ, quæ interpretatio jam Pseudo-Jonathani placuit; hic nempe ita exponit: עד זמן די ייתי מלכא משיחא זעיר בנוי „usque ad tempus, quo veniet rex Messias, parvulus filiorum ejus". שִׁיל dicunt derivari a שׁוּל, ut שִׁיר a שׁוּר etc. שׁוּל quidem in V. T. non exstat, sed idem esse ac שָׁלָה (= שָׁלַל & נָשַׁל) extraxit putatur; cujus derivatum שִׁלְיָה reperitur Deutr. 28, 57, ad quem locum fautores hujus explicationis solent provocare. שִׁלְיָה vero est secundinæ ex utero post partum extractæ (cfr. arab. سلى membrana, cui foetus involutus est, a سلّى II. extraxit hanc membranam), quo sensu apud Talmudicos in Berachot (f. 6, 1), Nidda (f. 26, 1) et alibi occurrit = סליתא, שליא; jam illud שִׁיל idem esse ac שִׁלְיָה volunt; hoc vero loco שִׁיל per metonymiam continentis pro contento exponunt: ipsi foetus v. infantulus recens natus et quasi e secundinis prodiens (similiter nonnulli [1]) Deutr. 28, 57, non secundinas, sed foetum recens editum per שליה intelligi

---

1) Cfr. Gulcher. (Explic. nov. et fac. etc. in Museo Hagano, ed. Barkey. T. I. p. 20): سلى arab. teste Camuso, significat membranam, qua involutus est foetus, qua hominum qua pecudum (cfr. Schultens. Orig. T II. p. 56); hoc سلى ex analogia hebraice est שְׁלִי s. שֶׁלֶה s. שְׁלָה s. denique per apocopen שֶׁל ad formam בֵּן. Nam omnes hæ formæ promiscue usurpantur, v. gr. בְּכֶה et בְּכִי etc." Affert deinde Deutr. 28, 57, ubi שליה „non secundinam modo, sed foetum recens editum, teneram prolem" indicare vult.

contendunt), cum suffixo igitur שִׁילֹו sive שִׁילֹה. Confirmare dicunt hanc explicationem e שָׁלַל cognata radice derivatum שִׁלְיל embryo maturus seu foetus nonimestris (בן תשעה חדשים) adeoque partui vicinus, Talmudicis[1]) usitatum, et Arabum سَلِيلٌ: foetus mas recens natus, quasi ex matre extractus, a سل duxit, traxit[2]). Placet hl. verba Kimchii[3]), quæ ἀνακεφαλαιωσιν dictorum exhibent, apponere: „donec veniat שילה id est filius ejus (שילה פירושו בנו) idque ex significatione vocis ובשליתה Deutr. 28, 57; licet enim hujus radix sit שלה, nil prohibet radices esse duas et significationem eandem; porro Rabbini nostri hîc usurpant vocem (sub diversa forma) ortam e duabus radicibus, quiescente ל״ה et geminata; nam dicunt (Mischna Cholin c. 4): si quis mactet bestiam et inveniat השליה, anima pulchra (ɔ: non concipiens nauseam) comedet eam, non secundinam procul dubio, sed foetum in secundina, et alibi ajunt (Mischna Chol. c. 7): at solet observari (nervus femoris) בשליל (in embryone). Quod si itaque שילה itidem habeat significationem istam (embryonis), triplex erit radix et eadem significatio, scil. שלל, שלה, שיל, ut דמם, דמה, דום etc.“ Similiter R. Bechai שִׁילֹה explicat בנו היוצא מזרעו, emphasin voci huic tribuens: „non dixit (Jacobus) בנו filius ejus, sed mentionem facit Messiæ sub nomine Schilo ɔ: filius ejus, qui nasceretur ex secundinis mulieris (בנו יולד משליה אשה), more omnium qui nascuntur, ex significatu Deutr. 28, 57. He vero dictioni שיל additum mysterio non carere

---

1) Cfr. tract. Cholin in Mischna c. 7 ab init. Zevachim f. 35, 1 et alibi. 2) Golii lex. Arab. c. 1194. 3) Libr. שרשים col. 505 rad. שיל.

affirmat, cum ex Tetragrammato petitum sit significetque attributa Messiæ plane divina ab Esaia (c. 11, 2) quinque phrasibus expressa". Eundem in modum Aben-Esra, R. Levi, Arama, Sal. Ben Melech, Abarbanel aliique. Quos ex Christianis sequuntur Raymundus Martinus[1]), Joseph Voisin[2]), Calvinus, Junius, Piscator, Spanhemius, Buxtorfius[3]), Gesnerus, Dav. Chytræus, Pfeiffer[4]), immo ipse Lutherus[5]), Aurivillius[6]), Knapp[7]) cet. Pfeiffer imprimis hanc explicationem „analogiæ fidei consonam" defendit: „qui, ait, hic tenellus filius Judæ vocatur, is alias dicitur semen Abrahæ Gen. 22, 18, צֶמַח Zach. 3, 8. 6, 12, germen David Jer. 23, 5, virga מִגֶּזַע יִשָׁי et surculus de radicibus ejus Es. 11, 1; puer natus, filius nobis datus Es. 9, 16, scilicet ob tenuia initia in assumta natura humana, nec mysterio caret, quod non aliam filii appellationem, cum posset, adhibere voluerit sanctus senex, quam quæ peculiari ratione matrem respiceret, neque dubium, quin animum intenderit ad semen illud mulieris Gen. 3, 15 et post fata ipsius revelatum partum virginis Es. 7, 14, quam grammaticam sibi placere seque in ea summa fiducia acquiescere ait Lutherus"[8]). — Quam vero arbitraria hæc sit inter-

1) Pugio fidei P. II. c. 4. n. 11. 2) Observatt. etc. p. 269. 3) Lex. hebr. p. 816. 4) Exercit. de Schilo, filio Judæ Gen. 49, 10 in Opp. Omnn. T. I. p. 575 sqq. 5) Comment. ad hl. & vom Geschlecht Christi. 6) Lib. cit. p. 263. 7) Dogm. II. p. 138. 8) Comment. ad hl. (in Opp. ed. Walch. T. II. p. 2903—4): „das Wort Schilo heisset ein Sohn des Leibes oder der Aftergeburt (da es sich endet, wie die Worte thun, die generis feminini sind) und das um der ersten Verheissung willen, so dem Adam gegeben ist, 1 Mos. 2, 15. — Jacob hat nicht

pretatio, non est ut multis ostendamus; שִׁילֹה enim idem esse ac שִׁלְיָה probari minime potest; similiter absque omni ratione membrana foetum obvolvens pro ipso foetu explicatur; porro Rabbinorum שליל et Arabum سليل nunquam filium in universum notant et ad diversas pertinent formas; denique, ut recte monet Hengstenberg, omnis omnino comparatio cum lingua Arabica tunc demum admittenda est, quum ipsa lingua Hebraica non sufficiat, quo accedit, quod nomen urbis Schilo sine dubio ex eadem radice deducendum est, ex qua nostrum שילה, „at quis non videt magis convenire, ut oppidum שלה dicatur a pace (q. d. Friedburg) quam embryo ejus[1])?"

2) Alii שִׁילֹה compositum putant ex שַׁי donum, munus et לֹה = לוֹ ipsi. Ita exponi in Medrasch Agada testatur Raschi, idque ob Ps. 76, 12 יוֹבִילוּ שַׁי לַמּוֹרָא „afferant munus terribili (Deo)!" qui locus a multis Rabbinis de Messia explicatur (cfr. Ps. 68, 19). In eandem sententiam promitur Es. 18, 7 in Bereschit Kezara (sect. 79), citante Raymundo[2]): „donec veniat Schilo, nam nationes mundi adducturæ sunt mu-

---

vergeblich ein sonderlich Wort gebraucht, sondern er hat diesen Sohn rühmen wollen, der ihm und den andern Vätern verheissen war. Und wir geniessen heutiges Tages auch von Gottes Gnaden des sehr hellen Lichts des Evangelii, dadurch das Wort Schiloh erkläret und ausgelegt wird, daß es heisse der Jungfrauen und auch Gottes Sohn zugleich. Diese Grammatik gefället mir wohl, und ich beruhe darin mit höchstem Vertrauen". cfr. ejusdem libr. vom Schem Hamph. und Geschlecht Christi in Opp. ed. Walch. Tom. XX. p. 2615. 1) Ita Pfeiffer in Opp. Omnn. etc. p. 109, ubi derivationem de שָׁלָה pacificus fuit sequitur. 2) Pug. fid. II, c. 4 n. 4. p. 251.

nus Messiæ, filio Davidis, juxta Es. 18, 7 בעת ההיא יובל־שי ליהוה צבאות, tempore illo adducetur munus domino Zebaoth". Sic etiam Amandus Polanus[1]) et Coccejus. Leo Castrius[2]) LXX vult hoc modo intellexisse שִׁילֹה munus ipsi sc. promissum, τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. Contra hanc explicationem observamus, nomen cum pronomine personali לוֹ componi, sine exemplo esse, neque hoc modo שִׁילֹה nisi per duras ellipses exponi posse, scil. שִׁילֹה pro שַׁי־לֹה munus ipsi ɔ: ille cui munera afferentur, vel, donec veniat munus illi sc. Messiæ[3]).

3) R. Nissim, secundum Abarbanelem, שִׁילֹה interpretatur: error ejus, ex analogia 2 Sam. 3, 27 לְדַבֵּר אִתּוֹ בַּשֶּׁלִי, quod vertit: „et locutus est cum eo per fraudem", ut LXX λαλῆσαι πρὸς αὐτὸν ἐνεδρεύων (שֶׁלִי vero rectius vertitur: tranquillitas, hl. tranquille ɔ: clam, seorsim, remotis arbitris), et 2 Sam. 6, 7: „ibique eum (Ussam) Deus percussit עַל־הַשַּׁל ob peccatum" (שַׁל delictum, a שָׁלָה erravit, peccavit). שִׁילֹה igitur = שְׁלִי et שַׁל, et hic sensus a R. Nissim constituitur: „non recessurum sceptrum a Juda etc. donec venerit peccatum ejus ɔ: transgressio Salomonis, postea enim recessu-

---

1) Syntagm. lib. 2. c. 37. 2) Apol. l. 3. 3) Cfr. J. N. Milow (Etwas über 1 Mos. 49, 10. Hamb. 1778), qui שילה in eundem modum dissolvit, provocans ad notas Masoretharum marginales ad Ps. 55, 16 ישימות, in margine ישיא מות, Ps. 10, 10 חלכאים, in margine חל כאים etc. vertit: bis er ihm Geschenke bringt, cfr. Hensler. (Bemerk. über Stellen in den Psalmen und der Genesis): nicht weichen wird der Stab von Juda, der Führerstab von seinen Füßen nicht, bis man ihm Gaben bringt etc. Cfr. de Rossi Var. lectt. etc. Vol. IV. p. 218.

rum ab ipso sceptrum regni, quod habebat super omnes Israelitas; nihilotamenminus ipsi fore יקהת עמים congregationem populorum ɔ: penes ipsum relinquentur duæ tribus Judæ sc. et Benjamini, quas nomine populorum innuit".

4) Ludovicus de Dieu plane singularem prodidit sententiam. Verba ejus sunt: „quum omnes fateri cogantur insolitam hanc esse in lingua Hebræa, quæ quidem nobis reliqua est, dictionem, non gravate ex lingua Arabica subsidium petimus, ubi usitatum est verbum سيل שיל fluxit, et سيل שיל fluxus, ut سيل دم profluvium sanguinis, et cum affixo سيله שילה fluxus ejus, profluvium ejus. Solent Arabes pro Hebræo affixo ו adhibere ה, quod et multis in locis Hebraismus imitatur. Verto ergo: donec veniat profluvium ejus ɔ: semen ejus, quod ex eo fluxerit". — Coacte! Aliquid dixisset autor, si Arabes suum سيل de semine usurparent; quod ita non est. Hic afferendus J. D. Michaelis[1]), qui similiter שִׁילֹה compositum habet ex سيل fluxus et ו ejus, sed vertit: „bis daß seine Ueberschwemmung kommt", et sensum hoc modo constituit: Juda regnum non prius amittet, quam tota civitas veluti diluvio generali interierit, quod factum est, quum Hierosolyma a Nebucadnezare vastata essent. Hæc vero explicatio, præter Arabismum hic arbi-

---

1) Deutsche Uebersetz. des Alt. T. mit Anm. in notis p. 196: bis auf die Zeit, da der ganze Staat gleichsam in einer allgemeinen Sündfluth untergehet, welches geschehen ist, als Nebucadnezar Jerusalem zerstörte: Juda wird, bis zum völligen Umsturz des gemeinen Wesens, das einmahl erlangte Königreich behalten.

trarie admissum, etiam eo laborat vitio, quod sensum omnino frigidum exhibet.

5) Johannes Clericus[1]) שִׁילֹה vertit: „finis ejus", quod sic defendit: שִׁיל juxta Hebraicæ linguæ analogiam deduci potest a radice שׁוּל, ut גִּיל ἀπὸ τοῦ גּוּל, חִיל ἀπὸ τοῦ חוּל, צִיץ ἀπὸ τοῦ צוּץ, עִיר ἀπὸ τοῦ עוּר aliaque. Verbum autem שׁוּל idem significabit ac שָׁלָה, ut חוּל idem est ac חָלָה, prout solent earum formarum verba confundi. Apud Chaldæos porro שְׁלָה est cessare, desinere, unde et Arab. שאל Schaala est defecit, imminutus fuit. Hinc apud Hebræos שׁוּל est limbus, ora vestis, nempe quasi ejus finis, atque hinc etiam שִׁיל finis aut cessatio exponi poterit. Hoc posito, finis ejus poterit ad legislatorem aut ad sceptrum referri, aut etiam ad ipsum Judam, ut sententia verborum sit: donec Judæ tribus incolumis erit, nunquam regnum amittet, semel sibi in Davidica familia collatum." Hanc vero explicationem per multas ambages arbitrarie duci sensumque hunc frigidum constitui, Judæ scilicet regnum ad finem ipsius duraturum (non magnum sane quid!), quisque facile videbit. Clericum Edzardus[2]) et argumentis et conviciis multis studuit refutare. Zeltner[3]) vero illam Clerici interpretationem hunc in modum emendare conatus est: „Juda sceptrum habebit, et si hoc, Babylonici exsilii ingruentibus ærumnis et calamitatibus, amiserit, non tamen summa legis Judæis propriæ autoritas, vis et obligatio, per Mosen olim promulgata, stabilita et per successores in synedrio sub

---

1) Genesis, ex translat. Clerici etc. Tübing. 1733. fol. 2) Jacobi Patr. de Schiloh Vaticin. etc. Lond. 1698. 3) Schilo nodis solutus, in Thes. Theol. I. p. 252.

alia regiminis forma conservanda desinet, usque dum venerit utriusque finis ɔ: Messias, quomodo Paulus Christum vocat Rom. 10, 4 (τέλος νόμȣ Χϱιςὸς), quo veniente lex Mosaica abrogabitur unacum ipsa civitate Judæorum et gentes omnes in ecclesiam recipientur."

6) Hiller[1]) aliam vocis controversæ compositionem subtili conjectura assecutus est. A verbo שָׁאַל petere, optare derivat ad formam nominis פָּקִיד vocem שָׁאִיל ɔ: petitus, expetitus: „accedente suffixo He, quale commate seq. est in עִירֹה pullus ejus, nascitur שָׁאִילֹה et, Aleph litera post schevatam pro more exclusa, prodiit ipsum שִׁילֹה ɔ: expetitus ejus". Ad significationem vero præteriti defendendam provocat ad exempla, quæ similibus instructa punctis participii pas. sustinent vim, ex. gr. כָּלִיל perfectus, מָשִׁיחַ unctus, יָדִיד dilectus, unde יְדִידְיָה dilectus domini, cognomen Salomonis, cfr. 2 Sam. 12, 25 etc. etc. שָׁאִיל igitur = שָׁאוּל Saulus, propr. petitus sive rogatus (cfr. 1 Sam. 8, 4 sqq). Per expetitum ejus intelligit Hiller Messiam: „nimirum a petitione et desiderio merebatur dici, qui fidelium Patriarcharum mille votis ac suspiriis exoptatus erat, quem videre efflictim petiit credentium Pater Abrahamus, cujus moriens salutem exspectavit Jacobus".

7) Denique afferenda est hypothesis anonymi cujusdam Galli[1]), qui שִׁילֹה ex duobus linguæ Sinicæ

---

1) Syntagm. Hermen. Tüb. 1711. p. 235. & Onomast. Sacr. p. 391. 2) Histoire Critique de la République des Lettres, tant Ancienne que Moderne Tom. II. p. 123—125 (Ultraj. 1713). Art. III. „Dissertation Critique, où l'on tâche de faire voir, par quelques exemples, l'utilité qu'on peut retirer de la langue Chinoise, pour l'intelligence de divers mots et passages difficiles de l'ancient Testament". Singularem suam hypothesin

vocabulis putat compositum, scilicet ex s c h i seculum et l o h gaudium, lætitia, et sic l æ t i t i a m s e c u l o r u m, d e l i c i a s g e n e r i s h u m a n i significare, quo nomine insigniri vult M e s s i a m, solum hoc titulo dignum.

B. Sermo deinde erit de illis interpretibus, qui שִׁילֹה i n t e g r u m v o c a b u l u m, non compositum, habent. Hi quoque in diversas vias discedunt.

1) Eorum enim nonnulli שִׁילֹה n o m e n p r o p r i u m

---

hoc modo commendat autor: „En effet, y a-t-il eu personne sur la terre, qui aye pu porter à plus juste titre ce glorieux nom que le Fils de Dieu? qui étant venu ici bas pour sauver les hommes, ne pouvoit y paroître sans y apporter une joye ineffable aux veritables fidelles qui vivoient pour lors, et à ceux qui devoient vivre sur la terre dans la suite des temps. Les Prophétes, qui nous ont parlé de la venuë du M e s s i e, nous font envisager cet heureux temps, comme un temps de joye. Ils ont exhorté toutes les créatures, tant animées qu' inanimées, & principalement les hommes, à se réjouir de cette heureuse venuë. Voy. E s a i e chap. 35 et chapp 60, 61, 62. Aussitôt que J e s u s C h r i s t fut né en B e t h l e h e m, un Ange du ciel apparut aux Bergers & leur dit: v o i c i j e v o u s a n n o n c e u n e g r a n d e j o y e, l a q u e l l e s e r a à t o u t l e p e u p l e, c'e s t q u' a u j o u r d'h u i e n l a c i t é d e D a v i d v o u s e s t n é l e S a u v e u r, q u i e s t l e M e s s i e, l e S e i g n e u r, Luc. 2, 10—11. Et St. Matthieu 2, 10 nous apprend, que les Mages, lorsqu'ils virent que l'Etoile, qui les avoit conduits, s'arrêtoit sur le lieu où étoit né J. C h r i s t, i l s s'é j o u ï r e n t d'u n e g r a n d e j o y e. Tous ces passages peuvent servir à montrer que la signification que nous donnons au mot de S c h i l o n'est pas entiérement à rejetter. Joignez à cela qu'il est appellé l e D e s i r é d e s n a t i o n s, Agg. 2, 7, c'est-à-dire la joye des nations; car on ne desire que ce qui en peut donner" (!) cfr. Deutsche Acta Eruditorum T. 20 p. 725.

habent urbis Schiluntis in tribu Ephraim sitæ, qui ipsi vehementer inter se disputant, quo sensu nomen hujus oppidi hl. occurrat.

a) R. Lipmannus[1]) עד כי־יבא שילה explicat עד שיבאו לשילה et hunc promit sensum: „non recessurum esse sceptrum a Juda, donec venerint Schiluntem, uncturi scilicet Saulem Benjaminitam, ab hac enim benedictione et deinceps tribus Judæ fuit princeps, uti dicitur 1 Chr. 5, 2. et fuit prima quod ad vexilla et prima in initiatione altaris, similiter in occupatione terræ Israel, quod dicitur Jud. 1, 2: Juda adscendet etc. sic fuit semper, donec venerunt ad urbem Schiluntem, donec Samuel regem constituit de tribu Benjamin". Saulem vero in urbe Schiluntis unctum esse scriptura nuspiam dicit, ne de aliis, quibus laborat hæc explicatio, vitiis dicamus.

b) Alio sensu post Servetum G. A. Teller[2]) versionem: donec venerit Schiluntem defendere conatus est. Putat enim hl. unice ad illud tempus respici, quo, absoluto per desertum itinere, arca foederis in hac urbe reposita sit; prædici igitur simpliciter, Judam in toto itinere reliquis tribubus terram Canaanæam petentibus ducem præiturum esse hasque constanter eum secuturas, usque dum venerit Schiluntem. Pro hac sententia hæc afferuntur argumenta grammatica: עד כי־יבא שילה plane hebraica est forma dicendi; de termino ad quem Hebræi simplici עד utuntur sive עד כי sive עד אשר, cfr. Num. 32, 17. Deutr. 9, 7. Jud. 11, 33. 1 Reg. 10, 7; nomen loci

---

1) Cfr. libr. Nizzachon ab Hackspanio edit. p. 27. 2) Nott. critt. & exegett. in Gen. 49. etc. p. 30 sqq.

ad quem mox cum ה paragog. ponitur, ut בא מחנימה 2 Sam. 17, 24, mox sine eo scribitur et hoc quidem longe frequentius, ut בא ירושלם, cfr. 1 Reg. 3, 15. 2 Chr. 11, 1. 16, immo hæc phrasis בא שלה occurrit 1 Sam. 4, 12; præterea nomen urbis Schiluntis variat quod ad scriptionem attinet in multis locis, eodem modo quo hl. שילה; argumenta historica: in itinere Judæorum per desertum Judam semper primum in castris tenuisse locum, cfr. Num. 2, 3—9; castris vero motis, in agmine exercitus ceteris antesignani instar præivisse, cfr. Num. 10, 14, in terra vero Cananæa occupanda ex oraculo ipsius Jehovæ ducem fuisse Judam, cfr. Jud. 1, 2. etc. affirmat Teller; quum vero Schiluntem perventum esset, arca in hac urbe deposita, terra inter singulas tribus divisa, principatum, quem hucusque tenuerit Juda, cessasse, cfr. Josv. 18, 1 sqq. Hisce argumentum dogmaticum addidit autor: „scilicet deum per verba de Juda imaginis regni Jesu Christi tanquam ex tribu Judæ oriundi quasi primas lineas duxisse, Judam enim semper in altera parte divisæ reipublicæ priorem mansisse; majus consilium divinum subesse in hoc eventu, unde enim alias explicari possit, Jacobum nec Josephum nec Benjaminum, utrumque præ reliquis dilectissimum, ad hujus principatus autoritatem selegisse?" — Similem in modum Gregor. Zirkel[1]) locum nostrum interpretatur, simul urgens vim quietis, quæ nomini שִׁילֹה inest, ut hic prodeat sensus: dux sit Juda usque ad plenam Palæstinæ possessionem, usque dum devictis hostibus Schiluntem ɔ: ad quie-

---

1) Dissert. super benedictione Judæ Gen. 49, 8—12 Wirceburg. 1786 p. 55.

tem venire licuerit. „Pater, ait, duce Juda posteros suos reduci ad loca sibi suisque familiaria, Bethel, Sichem, cetera, vehementer desiderat, ut, quibus in locis Palæstinæ possidendæ promissionem acceperant, in iis quoque ejus possessionem auspicarentur, Silunte quasi termino belli et laborum et symbolo quietis constituta, et gaudium ac tranquillitatem exhibente, quam ipso nomine promittit; est enim שִׁילֹה a verbo שָׁלָה cessavit, quievit.“ Placuit hæcce explicatio multis interpretibus, ut Eichhornio, Mendelii filio, Ammoni, Rosenmüllero (in duobus primis editt. Scholiorum ad Gen.), Kelle[1]), Herdero[2]), qui pulcherrime eam exornavit, aliisque. Difficultatibus vero haud paucis premi hanc sententiam, recte ostenderunt anonymus quidam autor[3]) et Hengstenberg. Primum scilicet nexum et poeticam totius de Juda vaticinii gradationem, illa admissa,

---

1) Die heiligen Schriften in ihrer Urgestalt II. p. 436. 2) Vom Geist der ebr. Poesie T. II. p. 187. „Jeder fühlt, daß das ganze Bild nur ein Zug sey. Judah wird zum Erstgebornen an Ansehen und Macht ernannt, damit er allen voranziehe, daß seine Faust zuerst am Nacken seiner Feinde, daß er ein tapfrer Löwe sei, damit er sich in Kanaan in stolzer Ruhe lagre. Der Zug geht nach Silo, und Jacob mochte den Ort nennen, weil er in seiner eigentlichen Gegend, zwischen Sichem und Bethel gelegen war; womit er also Juda aufgab, nicht eher den Führerstab niederzulegen, bis er in sein väterlich Erbtheil angelangt sei. Indessen zeigt der Parallelismus, daß es dem Weissager hier mehr als ein Name, daß es ihm eine Ruhe- und Friedensstadt sei; denn eher bindet der Sieger nicht seinen Esel an den Weinstock und wäscht seinen Mantel im Blut der Trauben, bis die Völker ihm ruhig gehorchen.“ Ideo vertit: „bis er zu Ruhstatt kommt“ etc. 3) Prüfung der Tellerischen Erklärung über 1 Mos. 49, 10. non quis? sed quid? 1768.

perturbari, nemo facile negabit, nam in v. 8—9 Juda ut heros, qui victoria reportata in summa quiescat tranquillitate, depictus est, et deinde ex hypothesi illa Telleri in v. 10 subito ad mare rubrum iter faciens Schiluntem sistitur. Præterea, quæ de ceteris tribubus a poeta in carmine Jacobo adscripto afferuntur (v. c. de Zebulone ad mare habitante, Issaschare patienter tributa solvente, Gadi cum hostibus pugnis etc.), tempora respiciunt post Palæstinam occupatam, minime fata populi Israelitici per desertum proficiscentis; de Juda igitur solo autor tempora Mosis et Josvæ respexit, quod minime probabile est. Quod porro ad illum attinet principatum, quem fingunt Judam et in itinere et postea habuisse, videant, ne plus in locis, quos citant, inveniant, quam quod vere illis insit. Nam ex Num. 2, 3—22 (cfr. Num. 10, 14—28) patet, Judæos iter fecisse in agmine quadrato (bataillon quarré) dispositos, ita ut in primo quadranguli latere, ad orientem versus, Juda, Issaschar et Zebulon proficiscerentur, eodem modo ceteris tribubus in singulis lateribus distributis, medium vero Levitis cum arca foederis tenentibus. In primo igitur loco duæ aliæ tribus cum Juda erant, et si quis principatus ob primum locum exstiterit, illius tres tribus participes fuerint necesse est. Sed neque ex loco, quem in agmine tenuerunt illæ tribus, primo principatus aliquis sequebatur, nec docet historia, talem habuisse Judam ante tempora Davidis, immo constat, duces Israelitarum, Mosen Aaronemque, Levitas fuisse, Josvam e tribu Ephraimi prodiisse; longe igitur verosimilius est, tribus, ad quas principes illi pertinerent, autoritate prævaluisse. Huc accedit, quod principatus ille, qui Judæ adscribitur, aliis quoque tri-

bubus concessus fuisse dicitur; sic Num. 32 narratur, Rubenem, Gadum et dimidiam tribus Manassis partem sortes suas ante reliquas omnes tribus obtinuisse; v. 17 ibidem Ruben declarat: „ipsi in armis expediti Israelitis præibimus, donec eos in suum locum perduxerimus“, cfr. Josv. 1, 14. 22, 1—3. Quod vero monet Hengstenberg[1]), Schiluntem tempore Jacobi non exstitisse, non magni est momenti, cum, si v. 10 vaticinium de re futura proprie sic dictum habendus sit, æque bene de urbe Schiluntis longe seriori tempore condenda sermo esse possit ac de Messia venturo, ut vult doctissimus ille vir. Denique ex illis, quibus ornavit poeta egregius Judam, præconiis satis superque patet, hic majus aliquid quam principatum qualemcunque in itinere cogitari. Quæ de dignitate Judæ et potestate hl. cecinit vates, splendidiora sunt, quam ut ad certum aliquem temporis terminum restringi possint, quo frigidus omnino sensus et languidus prodeat necesse est[2]).

c) R. Bechai putat עד כי־יבא שילה sic posse explicari, ut non terminus ad quem, sed terminus a quo indicetur, non quousque duraturum sit regnum Judæ, sed quando inchoandum sit. סור enim accipit notione accedendi (cfr. Ruth. 4, 1. Ex. 3, 3), בוא occidendi, intereundi (ut Lev. 22, 7. Gen. 28, 11 de sole occidente), hunc constituens sensum: „non accedet ad Judam sceptrum regium, donec intereat urbs Schilo ɔ: destruatur tabernaculum Schilunte, quo nimirum destructo Davides unctus est rex (cfr. Ps. 78, 60. 70)“. Alii, ellipsi ad-

---

1) Christolog. des Alt. Test. P. I. p. 75. 2) Hengstenberg. l. c. Cfr. quæ de עד כי p. 51—55 scripsimus.

missa, integram hanc orationem constituunt: עַד כִּי־יָבֹא קֵץ שִׁילֹה ɔ: donec veniat finis Schiluntis, eodem sensu. Alii עד כי dicunt idem esse ac כי quando: principatum in domo Judæ mansurum esse, cum finis Schiluntis venerit ɔ: cum desierit hospitium arcæ esse, cfr. Aben Esram, autorem Zennorenna aliosque. Verum ne de reliquis, quibus premitur hæc interpretatio, vitiis loquamur, monemus, Schiluntem jam sub finem vitæ Eli amisisse arcam, quæ, a Philistæis capta (cfr. 1 Sam. 4, 10) et postea in terram Israelis remissa (cfr. 1 Sam. 6), nunquam rursus eo delata est; præterea, arca abducta, non Davidem, sed primum Samuelem, deinde Saulum civitati Israeliticæ præfuisse [1]).

d) R. Hischias, autor Chizkuni, שִׁילֹה non ipsam urbem vult notare, sed hominem inde oriundum, sc. Ahiam Schilonitam prophetam, adeoque promitti Judæ dominatum, usque dum Ahia actione illa (1 Reg. 11, 29 sqq. commemorata) symbolica regnum 10 tribuum in Jeroboamum contulerit; ולו tunc de hoc rege explicatur. R. Joseph [2]) ipsum Jeroboamum Schilunte unctum per שִׁילֹה intelligit: „donec veniat Jeroboamus Schilunte coronandus, cui adhærebunt 10 tribus (ולו יקהת עמים). Ceterum Jeroboamus Sichemi, non Schilunte unctus est, cfr. 1 Reg. 12, 25.

e) Alii denique עד כי dum, quoad, quamdiu, *saalænge som*, accipientes, allatis 2 Reg. 9, 22. 1 Reg. 18, 45, phrasin totam reddunt: dum Schiluntem venietur s. venient sc. ad tabernaculum ibi

---

1) Cfr. Jac. Alting: Schilo seu de vaticinio patr. Jacobi libb. 5. Franck. 1660. 2) Cfr. Havemann. *Wegeleuchte*. p. 121.

exstructum sacra facturi (saalænge som man drager til Schilo), putantque locum nostrum ad illud pertinere tempus, quo Schilo sedes theocratiæ esset, spem igitur exprimi autoris, sedem sanctuarii semper ibi fore, nec non in commodum hujus sententiæ contendunt, Judam etiam post divisionem Canaanis ad tempus usque Sauli principatum sæpius habuisse [1]), cfr. Jud. 1, 1. 20, 18 etc., de qua re vide quæ supra a nobis disputata sunt.

2) Qui integram vocem habent שילה, eorum dein nonnulli appellativam exponunt, varie sensum ejus constituentes.

a) Sic J. H. Heinrichs [2]) cum Joh. Simonis [3]) שילה refert ad rad. שׁוּל arab. شال (cfr. שלל Ruth. 2, 16; שלה Job. 27, 8 et נשל arab. سل et نشل græc. συλάω) eripuit, traxit, putatque: „inde derivatum substantivum שילה bene respondere illis, quæ Galli vocabulo Conquerant complectuntur, victori puta, qui omnia secum quasi trahit, abripit etc. Hæc si ad Judam ipsum, seu Davidem adhibeas, sensus erit apertissimus: neque unquam ex Judæ tribu recedet sceptrum, donec (sc. ille Juda) יבא i. e. incedat שילה victor i. e. tanquam victor, ut per appositionem dictum sit, sensusque sit, donec victor omniumque gentium debellator incedat".

b) Aben Esra et R. Salomon Ben Melech in Michlal Jophi (bl. f. 15, 2) שילה de Davide explicant, hoc sensu: „non recedet שבט גדולה, sceptrum mag-

---

1) Cfr. Schmidt: Pentateuchens poetiske Stykker etc. p. 67.
2) De autore atque ætate capitis Gen. 49 Comment. Goett. 1790 p. 26 not. 3) Arcanum formarum, Hal. Magdeb. 1735. II. p. 131.

nificentiæ, a Juda, donec veniat David", τυ שילה significatione accurratius non definita.

c) Rudbek [1]) denique שילה ope linguæ Gothicæ vult interpretari, ut nempe sit = schiole vel siole ɔ: rex, monarcha, imperator, paccator, victor, heros, et schule & schyle id. quocum conferre jubet Anglo-Saxonicum Syllu ɔ: mirus, mirabilis.

d) Ne cabbalisticæ quidem expositiones desunt. Baal Turim dicit: יבא שילה בגימט' משיח ɔ: per Gematriam voces יבא שילה et nomen משיח eundem exhibent numerum, scil 358, unde consequi putat שילה esse Messiam (cfr. Chizkuni et Pentat. Venet. cum triplice Targum in margine) [2]). Per aliam Cabbalæ speciem, quam Notaricon vocant, e literis capitalibus 3 vocum יבא שילה ולו elicitur nomen ישו Jesu, uti e יגלו רזיא Rabbenu Hakkados observat Galatinus. Immo Ludovicus Carretus, medicus e Judæo Christianus, se ad Jesum esse conversum, quod nomen ipsius ישו tot structuris et dimensionibus sacris occulte quasi inscriptum, totque de Messia dictis Cabbalistico modo intextum vide-

---

1) Specimen usus linguæ Gothicæ in eruendis atque illustrandis obscurissimis quibusvis Sacræ Scr. locis etc. Upsaliæ 1717. vid. p. 139—140: „Rabbi David שילה exponit per בנו ɔ: filius ejus sc. Judæ, ut sit idem quod שליה secundina & per synochdochen foetus, quare etiam Messias ipsis dicitur ינון a נין Hebr. filius. Ast bonus hic Rabbi si Gothice scivisset, tantis non indiguisset ambagibus" (!). 2) Sed Baal Turim postquam e יבא שילה exsculpserat nomen משיח, quasi e vestigio sui oblitus, addit: שילה per Gematriam est משה Moses (utrinque provenientibus 345), de eo enim scriptum est: „et venit cum principibus populi Deutr. 33, 21." (cfr. R. Bechai et aut. Zennorenuna f. 63, 2).

ret, in suo de visionibus Dei libro testatus est. — R. Bechai aliique, prævio Sohar, putant ה in שילה innuere ultimum ה nominis Tetragrammati. Alia mysteria Christianorum haud pauci in hoc nomine quærunt, ex. gr. Joh. Tarnovius [1]), qui ה in fine quiescere dicit, „ut hic in tam stupendo miraculo et præter rerum seriem nativitate discamus quiescere". Porchetus [2]), Paul. Weidnerus [3]), aliique ה suffixum existimant femininum esse, nec respicere Judam, sed Mariam virginem immo Tarnovius [4]) suffixum quoad consonam femininum, quoad vocalem masculinum esse putat, „ut Messias innuatur, quatenus Deus ἀμήτωρ, quatenus homo ἀπάτωρ". De quibus omnibus Pfeiffer recte observat: „pie quidem sunt excogitata, at in textu nullum agnoscunt fundamentum".

Ne vero nimis turgescant hæ paginæ, in sententiis de celeberrimo hoc vocabulo jam allatis subsistamus. Qui nostris non contentus plura de hac voce desiderat, adeat autores a Pfaffio ad calcem orationis IIItiæ, quæ cum aliis Theologiæ ejus literariæ annexa est, indicatos [5]).

Ex frequentia autorum, quos hucusque citavimus, satis superque elucet, plerosque שילה de Messia interpretari. Jam vero quamquam in hoc rara consentiunt harmonia, in diversissimas abeunt vias, ubi ostendere conantur, quomodo singulorum v. 10 verborum sensus constitui debeat, ut huic opinioni plane congruus

---

1) Exercit. Bibl. l. 2. p. 545. 2) Victor contra Jud. P. I. c. 2. 3) De præcipuis locis fidei Christianæ Tract. 3 de adventu Christi p. 409. 4) Exercit. Bibl. lib. 2. p. 547. 5) Cfr. v. Bohlen die Genesis etc. p. 463.

appareat. Nec hic facilis est labor, et multum sudent et algent, ut omnia dubia et impedimenta removeant, simulque comprobent vaticinium, quod v. 10mo inesse volunt, adventu Messiæ accurate impletum fuisse. Præsertim duo hujus versus prima membra, quæ gravissimas illis difficultates objiciunt, miros in modos torquere coguntur. — Ex copia vero diversarum de verbis controversis sententiarum graviores tantum hîc afferendæ sunt.

1) Statuunt nonnulli[1]), duce Origene[2]), repugnante vero historia, semper e tribu Judæ exstitisse principes et duces, שבט et מחקק, usque ad Christum, non igitur Zedechiam postremum e tribu Judæ regem fuisse, sed transiisse sceptrum supremamque potestatem ad posteros ipsius et in eadem tribu per Maccabæos s. Asmonæos ad Christum usque conservata fuisse; quum vero Herodes ex stirpe Idumæa, illis sublatis, regnum Judæorum usurpasset, tum simul defecisse sceptrum de Juda. Quæ hypothesis ut facilius probetur, contendunt, Maccabæos, quamvis paterno genere Levitæ essent, per matres tamen Juda esse prognatos; conjugatas quippe per matrimonium fuisse tribus Levi et Judæ atque id ex Ex. 6 et 1 Chr. 2—4. 6 probari.

2) Alii[3]), ut idem demonstrent, שבט explicant de omni omnino dominio et principatu Judæ sub varia regiminis forma concesso, מחקק fere synonymum habentes. Docent a Davide usque ad exsilium Babylonicum reges habuisse Judam, igitur sceptrum sensu proprio; in Babylonia vero adhuc principibus suis paruisse Judæos volunt; sic Jechoniæ

1) Cfr. Huetii Demonstr. Ev. Par. 1679. p. 334. 2) Homil. 17 in Genesin (Opp. T. II. p. 218). 3) Prüfung der Teller. Erklär. etc.

filius Sealthiel, cfr. 1 Chr. 3, 17. Matth. 1, 12 a nonnullis Judæorum[1]) princeps et summus gubernator in miseria viventium appellatur; dicunt, principes hosce, Æchmalotarchas Babylonicos sic dictos (αἰχμαλωτάρχαι, ראשי הגלות שבבבל), a regibus Babyloniæ constitutos, insigne imperii sceptrum tenuisse[2]). Judæos in exsilio synedrium saltem habuisse historiam Susannæ testari volunt, et formam civitatis ne in Babylonia quidem cessasse contendunt ex Josepho[3]), qui Berosum citat tradentem, Nebucanezarem Judæis abductis nonnullas provincias optime sitas adsignasse (cfr. Ez. 1, 1; 3, 15; Bar. 1, 4), populum igitur non dispersum fuisse, unde factum sit, ut Jeremias (cfr. Jer. 29, 1) epistolam ad totum populum mittere potuerit, nec non scriptum aliquod prælegi toti populo, principibus, senioribus etc. audientibus, ut traditur Bar. 1, 1—4, cfr. Jer. 29, 1, ubi seniores, sacerdotes, prophetæ adhuc in exsilio superstites commemorantur. Observant porro, Serubabelem, filium Sealthielis, (cfr. Esr. 3, 8. Hag. 2, 2. Matth. 1, 12), quo duce primi Judæi redierunt, Esr. 1, 8 principem Judæ vocari, הנשיא ליהודה[4])

---

1) Buddei hist. eccl. V. T. II. p. 863. 2) Cfr. Sanhedrin c. 1. fol. 5. a. Buxtorf. Lex. Talm. col. 1399. Joh. Selden de Synedriis. 3) Contra Appion. lib. 1. Antiqq. 10. 11. 4) Cfr. Abarbanel. ad hl. „Jacobus pater noster expressam regni mentionem non facit, sed loquitur saltem de sceptro ɔ: omnimoda excellentiæ præfectura, gubernatione, principatu in reliquos fratres (כל מיני מעלה והנהגה ושררה על יתר אחיו), hanc excellentiam autem a Juda non recessuram esse affirmat". Ostendit deinde Abarb. „illam præstantiam diu ante exortos in Israele reges in persona et tribu Judæ deprehendi posse; fratribus enim suis etiam tempore Josephi excellentior fuit Juda,

etc. etc. — Per מחקק multi intelligunt supremum Hebræorum consessum, a Mose jussu Dei institutum, cfr. Num. 11, 16, viris 70 conflatum, qui in evangeliis *πρεςβυτέροι* et *ἄρχοντες* et *πρῶτοι τȣ λαȣ* vocantur, Synedrium scilicet magnum סנהדרין גדולה sive domum judicii magni Hierosolymitani בית דין הגדול שבירושלים, penes quod summa erat autoritas. Totum hoc synedrium senatoribus tribu Judæ prognatis constitisse, haud pauci contendunt et vaticinium Jacobi tunc temporis impletum volunt, quum 40 annis ante secundi templi excidium, circa tempora nati Christi, Hierosolymis Jebanam abductus sit senatus hic Judæorum et postea penitus sublatus [1]). Alii vero, quum intelligerent, ex una tribu Judæ selectos fuisse assessores synedrii probari non posse, affirmant, principem saltem senatus ראש הישיבה caput scholæ s. נשיא principem s. נשיא בכל מקום principem in omni loco appellatum, ex hac tribu semper fuisse [2]). — Alii per מבין רגליו, de sinu ejus s. de interstitio pedum ejus nullo respectu habito ad generationem explicantes, putarunt

---

ideoque consilio ejus morem gesserunt, cujus rei testimonium perhibent sequentia loca: Gen. 37, 26—27. 43, 2—8 sqq. 44, 16. 18. 46, 28; tempore Mosis Judæ tribus princeps fuit, cfr. Num. 2, 3—9. 7, 12. 34, 19; similiter tempore judicum, cfr. Jud. 1, 20. 20, 18. Josv. 14—15; tempore Sauli, cfr. 1 Sam. 11, 8, quum Saulus, populum Baseci numeraret, Israelitarum fuerunt 300,000, virorum Judæ 30,000, Juda enim ob excellentiam suam ceteris tribubus non adnumeratus fuit, idem fit 1 Sam. 15, 4" etc. 1) Loca Talmudica huc pertinentia vide in Edzardi Avoda sara c. 1. p. 236. 2) Cfr. Otthonis Lex. Rabb. p. 730. Witfii Miscellan. T. I. p. 539. G. Burgeri dissert. Schilo notis solutus § 6 p. 9.

indicari sedem synedrii in templo Hierosolymitano in eaque parte templi, quæ soli Judæ propria esset [1]), quam sedem reliquisse synedrium tempore supra indicato tradunt Talmudici, immo ipsi Judæi dicuntur hanc synedrii migrationem existimasse a Jacobo in benedictione v. 10 prædictam [2]). Ex Rabbinis multi phrasin מחקק מבין רגליו exponunt de doctoribus Judæorum et præfectis Synagogarum in diversis terris dispersis, quos omnes ex stirpe Davidica esse non dubitant [3]). Aliis מחקק est scriba, præeunte Onkelo, qui habet ספרא, sensu sine dubio legis doctoris, quomodo Jonathan מחקק reddit: ספרין מאלפי אורייתא scribæ docentes legem, similiter Hierosolymitanus, cfr. 1 Chr. 27, 32. Esr. 7, 6. Neh. 8, 1 etc. Alii מחקק de

---

1) Cfr. Lightfoot. chorogr. in Matth. 21. Relandi Palæstin. illustr. p. 839—46. 2) Cfr. Raymundi Martini Pug. fid. p. 879. 3) Abarbanel ad hl. dicit: „legislator de medio pedum ejus dictum est de sapientibus in captivitate qui degunt (על החכמים שבגלות). Et ita se res habet etiam hodie cum hac diuturna captivitate usque in Galliam dispersa et captiva turma Hierosolymitana, quæ in Hispania est, nam nullum dubium est, quin magnates et principes illi quos reges et synagogæ Jsraelitis præfecere, omnes a familia Davidis oriundi fuerint, nam plerique captivorum nostrorum in his regnis sunt ex tribu Judæ". — Cfr. ejusdem comment. ad Zach. 12, 7, ubi arrogantius sibi inter doctores hosce non infimum locum tribuit. Cfr. R. Isaaci Chissuk Emunah p. 140 ed. Wagenseil, vide Sanhedrin c. 1. fol. 5, 2, ubi dicitur: „non recedet sceptrum a Juda, hoc dicto innuuntur Æchmalotarchæ Babylonici, qui regebant populum, nec legislator de pedibus ejus, hoc dicto notantur nepotes Hillelis, qui legem docebant" (cfr. Horajoth. c. 3, fol. 2, 1).

scriba regio, qui regi ab epistolis est, accipiunt; ex. gr. Aben Esra, qui dicit indicari scribam publicum vel secretarium ad pedes principis vel ducis sedentem; „moris enim est", ait, „ut quilibet scriba sedeat inter pedes principis כל סופר להיות יושב בין רגלי הקצין, cfr. Kimchii verba ad hl. omnino similia כי דרך המושל להיות סופר יושב לרגליו. Multi alii מבין רגליו opinantur ad locum respicere, quem tenerent legum doctores, inter discipulos stantes vel sedentes; doctores enim discipulis cincti inter horum pedes versabantur; sic Salomon Jarchi aliique [1]). Accuratius

---

1) Cfr. Altingii (Schilo seu de vaticinio patr. Jacobi quod Gen. 49, 10 exstat) verba ad hl. (Lib. V—VI): „doctores quando sedentes vel stantes docebant, cingebatur magister a discipulis eratque in ipsorum medio (cfr. Maimonid. in tract. Talmud Thoræ c. 4. § 2), cfr. Luc. 4, 16. Matth. 5, 1. Joh. 8, 2. Luc. 2, 46. Act. 13, 14. — Porro doctoribus isto modo stantibus sedentibusve discipuli ad pedes ipsorum erant ratione tum loci, tum subjectionis. Locum quod attinet, erat ille olim inferior eo, in quo versabantur magistri, cfr. Deutr. 33, 3. 2 Reg. 2, 3 & 5. Act. 22, 3. Luc. 10, 39. Ps. 47, 4. — Subjectio eorundem istiusmodi erat, ut magistrorum sive præceptorum ministri censerentur, nam שימש non solum de de servis, sed etiam de discipulis usurpatur & tantundem significat ac discere debita reverentia (cfr. Abhoth R. Nathanis fol. 5. c. 1. Pesachim fol. 66, 1. Maimonid. in Talmud Thoræ c. 5. Talmud. Babylon. tract. Chetuboth c. 11. fol. 66, 1), cfr. 1 Reg. 19, 20—21 de Elisa currente post Eliam eique ministrante, cfr. Kimchi ad hl. 2 Reg. 2, 3 & 5. 3, 11. Joh. 1, 27. Marc. 1, 7. Matth. 3, 11 (dixit Johannes Baptista hoc modo Jesum suum magistrum seque hujus discipulum, cui omnia servi ministeria præstare teneatur). — Alia phrasis adhuc est subjectionem indigitans, quæ proxime accedit ad

R. Moses Concionator[1]) exponere studet verba controversa: „non recedet sceptrum a Juda, hoc intelligitur conclave Gasith[2]), quod in portione Judæ situm fuit[3]), et legislator e medio pedum ejus, hoc intelliguntur habitatores Jabetzi, munere docendi in Israele qui fungebantur, ut dicitur 1 Chr. 2, 55, ut sensus sit: non recedet sceptrum a Juda ɔ: sceptrum principatus de conclavi Gasith non recedet, scilicet quamdiu in Palæstina manent Judæi, et legislator e medio pedum ejus, quod dictum est de sapientibus in captivitate, nimirum quod non deficiet illud vel hoc, donec venerit Schiloh". — Alii, qui ו ante מחקק disjunctive capiunt, sceptrum quidem ablatum esse concedunt ante adventum Messiæ, immo ante Maccabæos, Synedrium autem γνήσιον, מחקק, cujus præses saltem semper e tribu Judæ fuerit, durasse censent usque ad ipsum annum nati Christi. — Phaletranus[4]) ו ἐξηγη-

nostram. Nam ad pedes esse in V. T. crebro pedissequos designat aliosque ductum imperiumve alicujus agnoscentes, cfr. Ex. 11, 8, ubi Onkelos explicat אשר ברגליך per הולכים אחר עצתך והלוכך: qui ambulant juxta consilium et ductum tuum, Jud. 5, 10, (cfr. Jonath. ad hl.), Deutr. 11, 6. 2 Sam. 15. 16. Jud. 8, 5. 1 Reg. 20, 10. 2 Reg. 3, 9. 1 Sam. 25, 27, (cfr. Chaldd. ad hl.), Gen. 30, 30. — Ceterum quamvis discipuli hoc pacto dicantur ad pedes magistrorum, non minus recte tamen de magistris asseritur, eos esse inter pedes discipulorum, quæ patriarchæ phrasis est, quando negat, recessurum legis doctorem ab inter pedes Judæ". 1) Cfr. Wolfii Bibl. Hebr. Vol. I. n. 1542. 2) Cfr. Buxtorf. Lex Talm. col. 1513. Lightfoot in descriptione templi Hieros. c. 22. p. 608. Wagenseil. Sota p. 232. 3) B. Walther p. 152 & Hackspan. p. 251. 4) Exercitatio histrorico-philologica de sceptri Jud. ablat. etc. p. 12.

τικῶς accipit, ita exponens: „non auferetur de Juda sceptrum pontificiale, sive, non deficiet in Juda *ἀνακτοτελειωτὴς* ꝯ: princeps, qui simul sit pontifex, sive quod perinde est, Schiloh jamjam in carnem venturo desinet *ἀνακτοτελειωταρχία* Judæorum". — Plerique ex recentioribus, qui Messiam hl. portendi volunt, hunc sensum singulorum verborum constituunt: שבט hl. metonymice intelligendum de actuali dominio seu juris exercitio, sub quacunque forma, quod Judam possedisse usque ad adventum Messiæ argumentis supra allatis contendunt [1]). מחקק explicant exercentem *τὸ δικάζον* sive juris dictatorem in synedrio, quam autori-

---

[1]) Cfr. ex. gr. Pfeiffer (in Opp. Omnn. philolog. p. 109), ita demonstrantem: „שבט sive sceptrum non denotat in specie *ἀξίωμα βασιλικὸν*, aut *ἡγεμονικὸν*, aliudve, sed in genere *τὸν Κύριον*, sub quacunque reipublicæ forma. Itaque sceptrum post reditum e Babylone mansit penes tribum Judæ, quamvis non sub forma seu corona regali, tamen sub cidari ducali, cfr. Ez. 21, 26. שבט seu sceptrum fuit tribui Judæ, quamdiu illa non amisit potestatem libere eligendi proprium gubernatorem suæ reipublicæ, licet eligeret quandoque e tribu non sua, modo pro suo agnosceret et a se denominaret. Ita imperium Romanum non desiit esse Romanum, licet a Romanis Arabs eligeretur, et regno Polonico non incommodat, quod regalem dignitatem contulerunt in Gallum. Itaque non obstat, quod ad clavum reipublicæ Judaicæ sederunt aliquando Maccabæi Levitæ; ducatus enim ipsorum, utpote non ab ipsis tribui Judæ ereptus, sed e SCto Judaico iis commissus, nihilominus manebat tribus Judæ, quæ scilicet ipsis eum non hæreditarie, sed libere pro re nata et ad legem quasi depositi conservandum tradiderat eosque sibi ceu suos præfecerat" etc. Cfr. Lutheri Comment in Genes. ad hl. et tractat. von den Juden und ihren Lügen (in ed. Jenens. T. VIII. p. 70—75).

tatem non plane amisisse Judam, nisi post adventum τȣ שילה affirmant. Nec vero sic inter se consentiunt, de tempore ablatorum τῶν שבט et מחקק exhibitique τȣ שילה vehementer disputantes. Pererius, Baronius, Estius, Sa, Bulengerus, Phaletranus aliique terminum ponunt in ἐνθρονισμῳ Herodis Magni, utpote alienigenæ, quod impugnant Scaliger[1]), Casaubonus[2]), Drusius[3]) etc. recte observantes, synedrium magnum minime post regnum ab Herode occupatum, ne quidem statim post mortem ejus desiisse. Alii terminum ad ultimam templi devastatationem rejiciunt, ut Cunæus, vel tres constituunt gradus interitus civitatis Judaicæ: a) sub Pompeio, b) cum, Archelao Viennam relegato, Judæa in formam provinciæ redacta sit, c) cum Titus urbem solo æquasset; ita Casaubonus, Pfeiffer[4]) etc.

---

1) Ad Euseb. n. 1983. 2) Ad Baron. Exercit. I. n. 3. 4. a. p. 24. 3) Supplem. l. 2. p. 251. 4) In Opp. Omnn. p. 110: „particula עד כי, ait, non infert eo momento, quo Schilo veniret, repente et quasi uno ictu dejiciendum regimen et synedrium Judaicum, verum admittit quandam latitudinem h. m. Circa illud tempus, quo Schilo veniet, poterit quidem fieri, ut paulatim incipiat ruere politia Judaica, non tamen penitus abolebitur, antequam veniat. Scilicet subjugati quidem erant Judæi a Romanis ante Christi adventum, permittebantur tamen suis vivere legibus, adeoque qualicunque gaudebant adhuc αὐτονομίᾳ, præsertim cum Herodes Judaicis viveret moribus. Conquassatum itaque est sceptrum a Pompejo, ab Herode, fractum vero tandem non diu post Messiæ adventum et plane sublatum a Vespasiano: was brechen soll, muß zuvor ein wenig knacken; was untergehen soll, muß zuvor ein wenig sinken und wanken, ait B. Lutherus. Itaque Messias venturus significatur eo tempore, quo sceptrum cum

3) R. Moses Bar Nachman[1]) s. Ramban dicit, „intentionem patriarchæ in hac benedictione fuisse, quod, quando in Israele regnum foret, a Juda illud nunquam recederet, nec ad aliam tribum transferretur, tamdiu enim ac in populo Israelitico principatus foret, Juda esset princeps. Reges, qui post Davidem ab alia tribu oriundi regnarunt, contra intentionem et benedictionem patriarchæ egerunt, quales fuerunt reges regni Israelitici (ɔ: 10 tribuum) & Maccabæi, in quos dictum Hos. 8, 4, quoniam contra vaticinium Jacobi rebellaverunt, dum regnum capessivere, a tribu Judæ non oriundi; Saulum quidem elegit Deus, quandoquidem regnum ejus non fore durabile prævidit, quapropter ei regnare permisit, quamvis ab alia tribu, non autem a tribu Judæ, esset etc. et hinc dictum Hos. 13, 11" etc. Contra Ramban recte observat Abarbanel: „hoc: non recedet etc. non est præceptum vel commonefactio ad ceteros fratres, ne regnum ejus (Judæ) sibi vindicarent, sed certificatio et promissio de futuro, et si reges Israelitici contra hanc prophetiam egerint, certe eo ipso cessavit promissio patriarchæ, nec illæsa mansit, nisi tempore Davidis et Salomonis".

4) Post Menassen Ben Israel[2]) Hieronymus

Synedrio in occasum indies vergebat, et propediem plane auferendum erat. Totalis vero ruina et abolitio sceptri et synedrii aliquo intervallo post facta infallibile argumentum est, venisse Schilo promissum, cfr. Raymund. Martin. Pug. fid. P. II. c. 4. D. Wolfg. Franz. schol. sacrif. Disp. 11—12. Jac. Martini de tribus Elohim I. 3. a. c. 5. ad 10. Dan. Cranmeri Schol. proph. Class. 2. Vatic. de Schilo" etc. 1) Vid. Wolfii Bibl. Hebr. V. I. p. 576. n. 1612. 2) In conciliatore p. 92: „dicere etiam possumus, mentem

ab Oleastro, Im. Tremellius, Joh. Tarnovius[1]), Jac. Altingius[2]) שבט acceperunt sensu tribus, hoc modo locum nostrum cum opinione de Messia prædicto conciliare conati. In prima editione versionis suæ Tremellius reddidit: „non desistet tribus a Jehuda" etc., in notis hunc sensum constituens: „non prius Jehudæ genus confundetur et distinctæ tribus nomen amittet, neque prius regnum dei ab ea ad alias gentes derivabitur, quam ex se promissum humani generis servatorem, qui lux est gentium, genuerit". Quam interpretationem avide arreptam Altingius omni studio et eruditione adhibitis probare et tanquam unice rectam defendere conatus est. שבט ipsi est „tribus et familiæ ex eodem parente progenitæ, sicut plures virgæ ex eadem radice sive stirpe progerminant — et hl. tribus, distincta ab aliis tribubus, ab eadem stirpe prognatis[3]), cfr. Aquilam Ponticum, qui teste Scholiaste hl. reddidit σκῆπτρον, quod explicatur: σκῆπτρον δε ἡ φυλὴ ὀνομάζεται, plane ut in Græco legitur 1 Sam. 9, 21. 10, 19. 20. 21. 1 Reg. 11, 13. 32. 35—36. 12, 20—21, ubi σκῆπτρον pro tribu usurpatur." Provocat porro ad vss. 16 & 28 benedictionis Jacobi, ubi שבט hoc

---

patriarchæ fuisse, quamvis 10 tribus captivas abducturus esset Assyriorum rex in terras nobis incognitas, tribum Judæ tamen nunquam sublatum iri, hoc est, ablatum ex oculis et commerciis hominum, sed semper fore ei legislatores in medio pedum, hoc est sapientes, a quibus doceatur usque ad Messiæ adventum, per quem imperium sit resurrecturum" etc. 1) Exercit. Bibl. l. 2. p. 545. 2) Schilo seu de vaticinio patr. Jacob. quod Gen. 49, 10 exstat. libbr. 3 & 5. 3) Cfr. Abarbanel. in legem fol. 122. col. 4. Kimchi in Lex.

sensu explicari debet, nec non ad Josephum[1]), qui, historiam hujus benedictionis recitans, sceptrum et dominatum non commemorat, solum tradens, singulas tribus distinctis benedictionibus prosecutum esse Jacobum, unde concludit Altingius, illum שבט ubique de tribu accepisse(!). מחקק, Judæis præviis, scribam exponit seu doctorem ɔ: ordinem doctorum ecclesiæ, quorum opera cognitio veri dei et voluntatis ejus conservaretur. Totum locum sic circumscribit: „posteritas Judæ semper habebit distinctas familias, ab eadem stirpe non interrupta, nec incerta serie descendentes, similiter non deficiet doctor ecclesiæ in tribu Judæ, donec exhibitus fuerit Messias". Quam prædictionem eventu comprobatam fuisse ostendere studet. Distinctionem enim tribuum[2]), quæ commune fuerit beneficium, tribui Judæ factam esse privilegium, quando aliæ tribus eam amiserint, contendit; accidisse hoc non eodem temporis momento, sed per intervalla: „primum enim reges Assyriorum, Phul, regnante Menahemo, cfr. 2 Reg. 15. 19, et Tiglath Pileser, regnante Pekah, v. 29, in Assyriam & Mediam captivas duxerunt tribus Rubenis, Gadi et mediam Manassis, cfr. 1 Chr. 5, 6. 26; hic etiam totam tribum Naphtali 2 Reg. 15, 29. Deinde Salmanassar, ultimo rege tribuum X Hosea devicto, et occupata Samaria, reliquas tribus sex et mediam eodem deportavit, 2 Reg. 17, 6. 23. 18, 11. Desiere tunc X illarum tribuum familiæ ab invicem distingui, quod genealogiæ in ista calamitate universali periissent, nec cuiquam liquido constaret ex instrumentis

---

1) Antiqq. l. 2, c. 4, 2) Lib. cit. l. 3. c. 10—11.

fide dignis, ex qua tribu, quave generis serie ex sua tribu descendisset. Ast tribus Judæ tunc adhuc fruebatur sua possessione hæreditaria sub rege Hiskia ejusque successoribus ad Zedekiæ usque extrema, quando et ipsa a Nebucadnezare in Babyloniam fuit deportata. Sed hoc felicior fuit Israele, quod ne tunc quidem distinctio familiarum ipsi periit. Debuit autem tribus Judæ hanc prærogativam benedictioni Jacobi: non recedet tribus a Juda. — — Conservata hæc etiam post captivitatem; argumento sunt indices genealogici, apud Esram, Nehemiam et 1 Chr. primis capp. recitati". — „Deinde[1]) X tribus institutionem doctorum sub Jeroboamo amiserunt, Sacerdotes & Levitæ mansere cum sola tribu Judæ ejusque beneficio permansere 2 Chr. 11, 13. 14". — Denique „Messiæ ortus[2]) proprium beneficium fuit tribus Judæ. — — Utique debuit generis series per aliquem ex filiis Jacobi recta certaque linea ad Messiam deduci. Jam autem privilegium istud fuit Judæ continuatio tribus sive continua eaque certa successio distinctarum familiarum in sua posteritate, quæ distinctio successioque reliquis filiis Jacobi ante exhibitum Messiam peritura erat. Unde consequitur, non potuisse aliam esse tribum Messiæ patriam quam Judæ, cum aliis ullam aut saltem æque certam genealogiam præstare integrum non esset. Quin immo hæc unica suppetit ratio, cur tribus Judæ conservanda fuerit, et quidem usque dum Messias venisset, nimirum ut hujus descensus ex primis illis patriarchis foret evidens ac manifestus. Reliquarum autem tribuum tam exacta tamque perpetua distinctio cum neutiquam esset necessaria ad fidem pro-

---

1) Lib. cit. l. 3. c. 15. 2) lib. 3. 16.

missionum divinarum stabiliendam, nec prædicta a Jacobo fuit, nec ipsis concessa. — — Messias igitur quoad genus ex Juda debuit descendere. Quod sequentibus prædictionibus magis patuit, ipsius originem ad unam Davidis familiam referentibus" etc. etc.

5) Huetius[1]) omnes queremonias et dissensiones interpretum hac expositione vult sopire: „res quatuor, ait, dico his notari Jacobi verbis. Prima prædictionis pars hæc est: non auferetur sceptrum de Juda, qua æterna sceptri possessio Judæ spondetur. Alterum prophetiæ membrum hoc est: et dux de femore ejus, quo temporarius et caducus Judæ præsignificatur principatus. Tertium est istud: donec veniat qui mittendus est, quo temporarii hujus regni finis et Messiæ adventus prædicuntur. Postremum hoc: et ipse erit exspectatio gentium, quo Messiæ regnum, non Cananææ terræ claudendum angustiis, sed quaquaversus per omnem orbem patens et spirituale futurum nuntiatur".

6) R. Lipmannus[2]) שבט ומחקק explicat per afflictiones et castigationes. Verba ejus sunt: „afflictio et castigationes non recedent omnino, ut non redeant, a Juda, donec venerit Schilo, tunc abolebitur mancipatio et afflictiones in totum, ut non redeant in æternum". Sic R. Joel ben Sueb aliique, qui שבט sumunt de virga castigatoria, cfr. Hiob 9, 34. 21, 9. 37, 13. Es. 10, 5 etc. Hisce adnumerandus Moses Abilda in Olat Tamid ad hl. qui putat שבט ומחקק indicare שבט הנוגש „virgam coactivam, qua opus erit Judæis ad ceteras nationes coercendas iisque leges præscribendas, eamque

---

1) Demonstratio Evang. etc. p. 343. 2) Nizzachon ed. Hackspann. p. 27.

autem tempore Messiæ cessaturam, gentesque parituras sua sponte, excellentia Messiæ sola excitas".

7) In Berescith Rabba שבט exponitur metaphorice fulcimentum s. sustentaculum, quod ita restringitur: „non auferetur scipio a Juda, hic est Machir, filius Ammielis, qui Davidi a filio suo Absalone fugienti in itinere succurrit 2 Sam. 17, 27". R. Menasse vero putat, hoc sensu שבט posse transferri ad omnes Judæos, „quibus non defore aliunde auxilium prædicat Jacobus, donec veniat Messias gentes afflicturus".

Atque semel quum interpretatio Messiana invaluisset, non mirandum omnia cetera quoque in illa, quæ Judam respicit, parte benedictionis Jacobi ad Messiam, ipsis verbis et sana hermeneutica resistentibus, tracta esse. Rabbini juxta principium illud notissimum התורה סובלת כמה פירושים כי אלו ואלו דברי אלהים חיים, legem ferre varias expositiones, quum tam hæ quam illæ verba sint Dei vivi, multiplicem sensum ex loco nostro eliciunt. Sic Baal Turim, Autor Zennorenna, R. Bechai al. putant hl. simul prædici liberationem proximam ex Ægypto per Mosen, „quia alienum est, hac neglecta, postremam per Messiam promitti, quia Schilo est Moses, numeris utriusque nominis exacte in unam summam consentientibus, denique quia Juda primatum obtinuit, usque dum venit Moses de tribu Levi, imperio in tribus Israelis regio potitus, cfr. Deutr. 33, 4. 5". — R. Bechai porro vult, in v. 8 patriarcham de filio suo Juda loqui, in v. 9 vero de Davide rege, quem catulum dixit leonis, „quia in diebus Saulis fuit catulus, post mortem vero Sauli regnavit super totum Israelem et factus est leo",

et in v. 10 vaticinari de Messia redemptore ultimo.— Similiter mystica et allegorica interpretatio bl. ab omnibus fere Græcæ atque Latinæ ecclesiæ patribus, immo a multis serioribus theologis adhibita est, ut caderent singula in tempus et personam Christi[1]), et sic factum est, ut verba urgendo et torquendo omnia in illis invenire potuerint, quæ invenire voluerint. Afferamus hic nonnullas eorum interpretationes sic dictas. Versum 8vum mystice hoc modo exponunt: Judas, qui a fratribus laudatur et celebratur, est Christus, ab apostolis et fidelibus laudatus et in æternum colendus; inimici, in quorum cervicibus est manus Judæ, sunt hostes et adversarii ecclesiæ, de quibus superbum triumphum aget Messias[2]). Eundem in modum sin-

---

1) Cfr. ex. gr. Chrysostom. (Opp. T. IV. Hom. 67 in Gen. p. 638—639) dicentem: *ἡ εις τον Ιȣδον γεγενημενη ευλογια μυστικη τις εστι, προμηνυουσα ἡμιν τα κατα τον Χριστον ἁπαντα.* 2) Cfr. Hieronym. (Quæst. in Gen. in Opp. T. III. p. 374): „quia Juda confessio sive laus interpretatur: adorabunt te filii patris tui etc. Licet de Christo grande mysterium sit, tamen juxta literam prophetatur, quod reges ex Juda per David stirpem generentur et quod adorent eum omnes tribus" etc. Idem in hom. 6ta in Jer. (II, 1—10 T. V. p. 802—803): „viri Juda nos sumus propter Christum, nec dubium est, quod dominus noster ex Juda ortus sit. Nomen quoque ipsum Juda, si juxta Scripturas probavero ad Christum referri, viri Judæ non erunt increduli Christo Judæi, sed nos, qui in Christo credimus. Juda te collaudant fratres tui, manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum. Te laudant, non illum Judam, filium Jacobi, fratres sui laudaverunt, sed nunc Judam laudant fratres sui. Ait quippe iste Judas (Ps. 22, 23): narrabo nomon tuum fratribus meis, in me-

gulæ v. 9ni imagines de Christo explicantur, Græcis LXX et Latinis Vulgatum sequentibus. Putant, Jesum hl. salutari catulum leonis ob regiam prosapiem divinamque originem. Verba των LXX ἐκ βλαςῦ υἱε μυ ἀνέβης Græci de Christo ex virgine nato accipiunt [1]). Latini versionem suam: adscendisti ad

---

dio immicorum tuorum. Ubi reperitur ille Judas super dorsum inimicorum suorum manus suas posuisse? Historia nihil de eo tale conscripsit. Si autem consideres adventum domini nostri Jesu Christi, destruentis Zabulum, exspoliantis principatus et potestates, ostentui eos facientis et triumphantis in ligno, videbis quomodo super istum Judam completa sit prophetia dicens: manus tua" etc. Cfr. Origen. in Gen. hom. 17 (Opp. T. II, 107), Ephraem. Syr. Explanat. in Gen. (Opp. T, I. p. 105 sqq.) etc. 1) Origenes (hom. 17 in Gen.) —— „multo convenientius aptabitur huic loco mystica expositio, in qua catulus leonis Christus non solum tropice, verum etiam physice designatur; nam Physiologos de catulo leonis hæc scribit, quod cum fuerit natus tribus diebus et tribus noctibus dormiat, tum deinde patris fremitu vel rugitu tanquam tremefactus cubilis locus suscitat catulum dormientem. Iste catulus ergo adscendit ex germine; ex virgine enim natus est. Non ex semine, sed ex virgine absque concubitu viri et absque semine naturali nascitur Christus, velut virgultum sive ramus". Cfr. Hippolyt. (Opp. ed. Fabricius Hamb. 1716. T. I. p. 7—9): σκυμνον λεοντος ειπων ὁ προφητης τον εξ Ιυδα και Δαυιδ κατα σαρκα γεγεννημενον, μη εκ σπερματος Δαυιδ γενομενον, αλλ' εξ ὑγιυ πνευματος συλλαμβανομενον και τυτυ εκ βλαςυ ἁγιυ εκ γης προερχομενυ. Chrysostomus (Hom. in Matth. 26, 39. Opp. ed. Montfaucon Par. 1721. T. III. p. 16.): πρωτος ὁ πατριαρχης Ιακωβ. προς γαρ αυτον αποτεινων τον λογον φησιν, εκ βλαςυ, υἱε μυ, ανεβης· βλαςον την παρθενον, και το ακραντον της Μαριας εμφαινων. Cyril. Alex. (de benedict. 12 patriarch. Opp. T.

prædam prementes, de victoria Messiæ[1]) aut de adscensu in crucem[2]) exponunt. Sequentia duo v. 9ni membra vulgo ad mortem Jesu Christi et resurrectionem ejus prædictam trahuntur[3]). Quod tandem attinet

---

I. p. 222): και γαρ εςι σκυμνος λεοντος εξ Ιυδα Χριςος, υἱος ων Θεϋ παντα ισχυοντος, ὡ το αμαχι προσεςι νικαν και το μονω δυνασθαι καταπληττειν λογω τϋς ανθεςηκοτας· ὡς γαρ φησιν ὁ προφητης· λεων ερευξεται, και τις ου φοβηθησεται (Am. 3, 8); σκυμνος ϋν λεοντος ὁ Χριςος· καθαπερ απο βλαςϋ και εκ ῥιζης εὐγενϋς αναφυς, της ἁγιας παρθενϋ. 1) Hieronymus (Quæstt. in Gen. Opp. T. III. p. 374: „et quod sequitur: ex germine, fili mi! in Hebræo habet: de captivitate, fili mi, adscendisti, ut ostenderet, eum captivos populos esse ducturum, et juxta intelligentiam sacratiorem, adscendisse in altum et captivam duxisse captivitatem (Ps. 68). Sive quod melius puto, captivitas passionem, adscensus resurrectionem signat". cfr. Huetium (in Dem. Ev. ad hl.): „catulus leonis etc. hac similitudine significantur et Christi robur et regium genus. Adscendit ad prædam, tum quum ex orci faucibus dæmonumque tyrannide humanum genus eripuit", cfr. Isidori Pelusiotæ Epp. Libr. 3. ep. 267 in Opp. p. 265. 2) Augustinus (Opp. T. V. Serm. 37 de Prov. 31) — — „quomodo dictum est de ipso viro ejus, leone de tribu Juda, de quo Propheta antea prædixit: adscendisti recumbens: utique in cruce. Adscendisti crux est, recumbens mors est" etc. 3) Cfr. Origen. hom. 17 in Gen. (Opp. T II. 106). Chrysostom. Hom. 68 in Joh. (Opp. T. VIII p. 404): ὁ πατριαρχης δε ειπων, αναπεσων εκοιμηθη ὡς λεων, επηγαγε, και ὡς σκυμνος λεοντος, τις εγερει αυτον; ὁμϋ και το παθος και την αναςασιν ενδεικνυται. Theodoret. Quæst. in Gen. (Opp. T. I. p. 72): εκοιμηθη ὡς κ. τ. λ. ὡςπερ γαρ ὁ λεων και καθευδων εςι φοβερος, οὑτως ο δεσποτικος θανατος φοβερος και τω θανατω και τω διαβολω γεγενηται – και το τις εγερει αυτον; την αφατον αυτϋ δεικνυσι δυναμιν.

ad ultimos duos versus 11—12, plerique interpretum, etiam recentiorum, tempora Messiæ hîc describi putant, eoque

---

αυτος γαρ ἑαυτον ανεϛησε, κατα την αὐτȣ προῤῥησιν, λυσατε τον ναον τȣτον κ. τ. λ. Chrysostom. Hom. in Matth. 26, 39 (Opp. T. III. p. 16—17): ειτα τον ϛαυρον δηλων ελεγεν· αναπεσων εκοιμηθης ὡς λεων, και ὡς σκυμνος λεοντος, τις εγερει αυτον; τον γαρ θανατον αυτȣ κοιμησιν εκαλεσε και ὑπνον, και τω θανατω συνηψε την αναϛασιν λεγων, τις εγερει αυτον; αλλος μεν ȣδεις, αυτος δε ἑαυτον κ. τ. λ. τι δε εϛιν, αναπεσων εκοιμηθης ὡς λεων; ὡςπερ γαρ ὁ λεων ȣκ εγρηγορως μονον, αλλα και καθευδων εϛι φοβερος, ȣτω και ὁ Χριϛος, ȣ προ τȣ ϛαυρȣ μονον, αλλα και εν αυτῳ τῳ ϛαυρῳ, και εν αυτῃ τῃ τελευτῃ φοβερος ην, και τα μεγαλα τοτε ειργαζετο θαυματα, ἡλιον αποϛρεφων, πετρας τεμνων κ. τ. λ. Cfr. similia apud Cyrill. Alex. (de benedict. 12 patriarch. Opp. T. I. p. 211 sqq.), Ephraem. Syr. (compar. benedict. Jacob. et Mos. Opp. T. I. p. 105 sqq.). Augustin. (Serm. 37 de Prov. 31): — — „quid est recumbens? Et inclinato capite tradidit spiritum (Joh. 19, 30). Cum ergo et ibi diceretur: adscendisti recumbens, secutus est: dormisti sicut leo. Dormisti sicut leo: non fugisti ut vulpes. Quid est: dormisti sicut leo? de potestate, non de necessitate etc. Cfr. Epiphan. adv. hæres. l. 1. (Opp. T. III. p. 332), Hippolyt. (Opp. T, I. p. 9), Cyprian. Testimon. lib. 1. c. 21 (Opp. p. 281) etc. Patres hosce sequuntur interpp. Cathol. ex. gr. Huetius (Demonstr. ev. p. 347): „deinde victoriæ hujus modum rationemque adumbrat, cum ait: requiescens accubuisti ut leo, quæ mortem Christi exprimunt; dormitionis enim ac somni vocabulis mortem significare consueverunt scriptores sacri, et utramque notionem habet Ebraica dictio שכב, et somnus Homero dicitur κασιγνητος θανατοιο. Prædicta Jesu morte, consequens fuit ipsius reditum ad vitam prædicere, quod et fecit his verbis: quis suscitabit eum? ac si dicat: non alius præter ipsum ac patrem potest eum ad vitam revocare. Id sibi volebat Jesus, quum diceret:

magis, quo similibus fere imaginibus futura eo regnante felicitas aureumque pacis et tranquillitatis seculum a prophetis nonnunquam depingitur, cfr. Joel. 2, 22 sqq. Am. 9, 13 etc. Sed qui allegorias sectantur, etiam hic imagines poeticas urgent verbisque inhærent, omnia ad personam Messiæ fataque ejus, quæ a patriarcha accurate prædicta volunt, referentes, et, cum latissimus pateat allegoriarum campus, tot diversissimæ horum versuum natæ sunt interpretationes, ut enumerari et ad certas classes reduci vix possint. Sufficiat igitur hic ex immensa copia nonnullas tantum, quæ sæpius occurrunt, commemorare, ex quibus ceteræ omnes dijudicari possunt. Ex interpretibus Judæorum jam Paraphrastæ Chaldæi[1]) duos hosce versus sensu allegorico de tem-

---

Joh. 2, 19. solvite hoc templum etc. id Paulus Eph. 1, 20. Igitur Christum Jesum respiciebat Balaamus Num. 24, 9".

1) Apponimus hic paraphrases eorum unacum versione latina ex Polygl. Br. Walton.

Onkelos:

11 יסחר ישראל לקרתיה עמא יבנון הכליה יהון־צדיקיא סחור־
סחור ליה ועבדי־אוריתא באולפן עמיה יהי־ארגון טב לבושהי
12 כסותיה מילא צבע־זהורי וצבעונין׃ יסמקון־טורוהי בכרמוהי
יטופון נצווהי בחמר יחורן בקעתיה בעבור ובעדרי ענא׃

ɔ: 11. Habitabit Israel in circuitu civitatis suæ, populi ædificabunt templum ejus; eruntque justi in circuitu ejus, et factores legis in doctrina ejus: purpura optima erit vestimentum ejus, operimentum ejus erit sericum tinctum coccino variisque coloribus. 12. Montes ejus rubicundiores erunt in vineis suis, distillabunt colles ejus vinum: dealbabuntur campi ejus frumento et gregibus ovium.

Jonathan:

11 מה יאי מלכא משיחא דעתיד למיקום מדבית יהודה אסר חרציי
ונחית ומסדר סדרי קרבא בעלי דבבוי ומקטל מלכין עם שולטניהון

poribus **Messianis** acceperunt. **Onkelos** asinam et asellum **Israelitas** et **gentiles**, tum et **æqui bonique**

ולית מליך ושולטן דיקום קדמוי מסמק טווריא מן אדם קטיליהון
12 לבושוי מעגעגין באדמא מדמי לעצור דענבין׃ מה יאיין הינון
עינוי דמלכא משיחא כחמרא זכיכא מן למיחמי גילוי עריין
ושדיות אדם זכאי ושנוי נקין מן חלבא דלא למיכל חטוף ואנוסא
וכדין יסמקון טוורוי ומעצרתיה מן חמרא וגולמתוי יחוורן מן
עללתא ומן דירין דעאן׃

ɔ: 11. Quam pulcher est rex Messias, qui surrecturus est e domo Judæ? ligavit lumbos suos et descendit et instruxit aciem belli adversus hostes suos, interficiendo reges cum principibus eorum, nec est rex aut princeps, qui illi sit restiturus: rubore inficiens montes propter sanguinem interfectorum eorum, vestimenta ejus intincta sanguine assimilantur cortici uvarum. 12. Quam pulchri sunt oculi regis Messiæ sicut vinum purum, ne videre possit concubitus illicitos et effusionem sanguinis innocentis; et dentes ejus puriores sunt lacte, ut non comedant raptum aut direptum: et propterea rubebunt montes ejus et torcularia ejus præ vino, et colles ejus albi erunt præ frumento et caulis ovium.

Hierosolymitanus:

11 מה יאי הוא מלכא משיחא דעתיד למקם מדבית יהודה אסר
חרצוי ונפיק לקרבא לקביל שנאוי ומתקטלין מלכין עם שלטוניין
מכמק נהריא מדם קטיליהון ומחור גולמתיה מן תרב גבריהון
12 לבושוי מעגעגין באדמא והוא מדמי לרפוס ענבין׃ מה יאין אנון
עינוי דמלכא משיחא למחמי מן חמרא זכיכא מלמחמי בהין גלוי
עריות ושפיכות דם זכי שנוי בקין בהלכה ממיכל בהין חמסין
וגזלין יסמקון טורוי מן גופני ומעצרתי מן חמריה יחורון גולמתיה
מן סיגוי עבור ועדרין דען׃

ɔ: 11. Quam pulcher est rex Messias, qui surrecturus est e domo Judæ: ligat lumbos suos et exit in proelium contra osores suos, et interficiuntur reges cum principibus: rubore tingit flumina sanguine interfectorum eorum, et albos reddit colles ejus pinguedine fortium ipsorum: vestimenta ejus intincta

amantes ac præcepta divina observantes, vitem templum, doctrinam Dei, vestes vino lotas vestimenta splendida et magnifica Messiæ, v. 12 de magna vini, frumenti, pecorum copia in regno Messiano exponit. Jonathan vero et interpres Hierosolymitanus v. 11 ad cruentas Messiæ de gentilibus victorias reportandas, foedis adhibitis imaginibus, trahunt; v. 12 tam de sanctitate et puritate Messiæ quam de fertilitate soli et abundantia vini et frugum sub ejus imperio explicant. Chaldæos sequuntur fere omnes Judæorum magistri, pro more suo verba textus Hebraici misere prementes, lusibus phantasiæ indulgentes [1]). Christianorum interpretes non melius agunt, singulas poetæ imagines de certis Jesu Christi actionibus ac munere ejus Messiano mystice explicantes [2]). Sic respectu habito ad Zach. 9, 9, ubi magnus ille Judæorum rex et servator,

---

sunt sanguine, et ipse similis est calcationi uvarum. 12. Quam pulchri sunt oculi regis Messiæ visu præ vino puro, ut non videat illis concubitus illicitos et effusionem sanguinis innocentis; dentes ejus magis exorcitati sunt in ritibus, quam ut comedat illis violentias et rapinas: rubicundi sunt montes ejus vineis et torcularia ex vino ejus, albi sunt colles ejus ex multitudine frumenti et gregum ovium.

1) Talmudicas v. 11—12 interpretationes videas in Wagenseilii Sota p. 710 sqq. 2) Cfr. Irenæum (contra hæres. L. IV. c. 23. Opp. ed. Grabe p. 309): „inquirant enim hi, qui omnia scrutari dicuntur, id tempus in quo defecit princeps et dux ex Juda, et qui est gentium spes, et qui vitis, et qui pullus ejus, et quod indumentum, et qui oculi, et qui dentes, et quod vinum, et unumquodque ex dictis exquirant, et invenient non alium, nisi dominum nostrum Jesum Christum annuntiatum".

pacis et felicitatis autor, in **asino** et **pullo asina nato** equitans (הנה מלכך יבוא לך צדיק ונושע הוא עני ורכב על־חמור ועל־עיר בן־אתנות) prædicitur, plerique putant nostro loco per אסרי לגפן עירה ולשרקה בני אתנו **Jesum Christum** et specialiter **solennem ejus in metropolim introitum** (cfr. Matth. 19, 6—9. Marc. 11, 1 sqq.) a poeta esse indigitatum. Simul **asellum** accipiunt de **gentilibus**, asinam de **Judæis**[1]), a Christo in ecclesiam

---

[1]) **Justin. Mart.** (in Dialog. cum Tryph. Jud. c. 53): *και το, δεομενων προς αμπελον τον πωλον αυτȣ και τῃ ἑλικι τον πωλον τȣ ονȣ, και των εργων των επι της πρωτης αυτȣ παρȣσιας γενομενων ὑπ' αυτȣ, και των εθνων ὁμοιως των μελλοντων πιςευειν αυτῳ, προδηλωσις ην. ουτοι γαρ ὡς πωλος ασαγης, και ζυγον επι αυχενα μη εχων τον ἑαυτȣ, μεχρις ὁ Χριςος ȣτος ελθων, δια των μαθητων αυτȣ, πεμψας εμαθητευσεν αυτȣς· και τον ζυγον τȣ λογȣ αυτȣ βαςαξαντες, τον νωτον ὑπεθηκαν προς το παντα ὑπομενειν δια τα προσδοκωμενα και ὑπ' αυτȣ κατηγγελμενα αγαθα. και ονον δε τινα αληθως συν πωλῳ αυτης προσδεδεμενην εν τινι εισοδῳ κωμης Βεθφαγης λεγομενης, ὁτε εμελλεν εισερχεσθαι εις τα Ιεροσολυμα ὁ κυριος ἡμων Ιησȣς Χριςος, εκελευσε τȣς μαθητας αυτȣ αγαγειν αυτῳ. και επικαθισας, επεισεληλυθεν εις τα Ιεροσολυμα — — — το δε και ονον ὑποζυγιον ηδη μετα τȣ πωλȣ αυτης ονομαζειν το προφητικον πνευμα* (Zach. 9, 9), *μετα τȣ πατριαρχȣ Ιακωβ, εν τῃ χρησει αυτον εχειν, αλλα και αυτον τοις μαθηταις αυτȣ, ὡς προεφην, αμφοτερα γαρ τα ζωα κελευσαι αγαγειν, προαγγελια ην και των απο της συναγωγης ὑμων ἁμα τοις απο των εθνων πιςευειν επ' αυτον μελλȣσιν. ὡς γαρ τοις απο των εθνων συμβολον ην ὁ ασαγης πωλος, ȣτως και τοις απο τȣ ὑμετερȣ λαȣ ἡ ὑποσαγης ονος, τον γαρ δια των προφητων νομον επικειμενον εχετε.* **Hippolytus** (Opp. T. I. p. 8): *δεσμευων προς αμπελον τον ονον αυτȣ, τȣτεςι τον εκ περιτομης λαον αυτȣ προς την ἑαυτȣ κλησιν. αυτος γαρ ην ἡ αμπελος* (cfr. Joh. 15, 1). *Και τῃ ἑλικι τον πωλον της ονȣ αυτȣ, τον λαον τον εξ εθνων ὡς περιτομην και ακροβυςιαν εις μιαν πιςιν καλων:*

recipiendis; vitis tum est ipse Christus[1]), aut doctrina[2]) ejus, aut populus Israeliticus[3]), quocum

---

Chrysostomus (hom. 67 in Gen. c. 49. Opp. T. IV. p. 638): *δια τȣ πωλȣ παλιν την των εθνων προμηνυων προσαγωγην, επειδη γαρ ακαθαρτον ζωον ὁ ονος, δια τȣτο φησιν, εκεινα τα ακαθαρτα εθνη μετα τοσαυτης ευκελιας εναξει, ὡς αν τις τη ἑλικι της αμπελȣ τον πωλον προσδηση, της εξȣσιας την ὑπερβολην αινιττομενος, και των εθνων την πολλην ὑπακοην. πολλης γαρ εϛι της ἡμεροτητος τȣ ονȣ, το ανεχεσθαι τη ἑλικι της αμπελȣ προσδεθηναι.* Cfr. Orig. hom. 17 in Gen. (Opp. T. II. p. 109), etc. Cfr. Phaletranum (in exercit. hist. phil. de sceptri Jud. ablatione etc.): „quod vero Jacobus et pulli et asinæ mentionem facit, ad summam illam distinctionem, qua olim omnes totius mundi populi in Judæos et gentes dividebantur, pertinere existimant. Asinum enim *ὑποζύγιον* legis ceremonialis, cum primis vero intolerabilium traditionum jugo Matth. 23, 4. Act. 15, 11 oneratos Judæos, qui et inde *οἱ εκ τȣ νομȣ* Rom. 4, 16 vocantur: pullum vero gentiles, qui contra *ἄνομοι* appellantur Act. 2, 22 denotare, quia nullis divinæ legis refrenati essent capistris Rom. 2, 14. Messiam vero sublata hac distinctione utrosque gentiles et Judæos ad vineam suam ɔ: ecclesiam Es 5, 1; Ps. 80, 9. Jer. 12, 10. Matth. 21, 33 ducere, ibique illos generosæ viti ɔ: sibi ipsi Joh. 15, 1 vinculo pacis Eph. 4, 3 et caritatis Coll. 3, 14 alligare“. 1) Cyrill. Alex. (de benedictione 12 patriarch. Opp. T. I. p. 223): *ὁτι προεισεφρησε μεν δια πιϛεως ὁ εξ εθνων αρτιγενης τε και νεος λαος, εισκληθησεται δε μετ' αυτον και ὁ Ισραηλ, εδιδαξε λεγων ευθυς· δεσμευων προς αμπελον τον πωλον αυτȣ· προσεδησε γαρ ὡςπερ ἑαυτω δια πιϛεως, ἡ αμπελος ἡ αληθινη, τȣτεϛι Χριϛος, τον εξ εθνων λαον, ὁν τῳ πωλῳ παρεικαζει.* 2) Chrysostomus (hom. 67 in Gen. c. 49. Opp. T. IV. p. 638): *τη αμπελῳ δε παρεικασε την οικειαν διδασκαλιαν· εγω γαρ ειμι, φησιν, ἡ αμπελος ἡ αληθινη, και ὁ πατηρ μȣ ὁ γεωργος εϛι· ἑλικας δε εκαλεσε το ἁπαλον των προσταγματων και των νομοθεσιων το ευκελον, ἱνα ηδη προμηνυση, ὁτι τα εθνη ευπειθεϛερα τȣτων γενησεται.* 3) Cfr. Ephraem.

conjungitur multitudo gentilium in una ecclesia, aut apostoli[1]), Judæi nati, gentiles sibi conciliantes; alii

---

Syr. (Opp. T. I. Explanat. in Gen. p. 105): „synagogam vitem appellat, quo etiam tropo prædicatur a Davide (Ps. 80, 9). Prædicit autem, Christum pullum suum ad vitem ligaturum, quatenus Synagogæ annexum erat ejus regnum, et per eandem traducebatur; idque pariter insinuant illa verba: non deficiet sceptrum de Juda, donec veniat, cujus est regnum. Quum autem dominus noster advenisset, ad veram vitem pullum ligavit". — Idem aliam quoque explicationem affert (l. c.): „porro, qui Christum id præstitisse ajunt, cogitant in aditu templi adsurrexisse vitem, ad quam dominus, templum ingressurus, pullum asinæ, quo vectus fuerat, alligaverit, vel autumant jumentum illud viti alligatum fuisse in castello, unde fuit a discipulis abductum, idque ex illis Christi verbis conjectant Marc. 11, 2: inveniotis" etc. — Theodoret. (Opp. ed. Schulze T. I. p. 114): ὅτι δε αμπελος ὁ Ισραηλ ωνομαζετο, ἅπαντες οἱ προφηται διδασκουσι, και γαρ Δαβιδ φησιν, αμπελον εξ Αιγυπτου μετηρας, και τα ἑξης (citat. Es. 5, 1—7. Jer. 2, 21. Luc. 20, 9—19) — — πωλον δε τον εξ εθνων ονομαζει λαον, ὡς αδιμαστον οντα, και πωλοδαμνην ουκ εσχηκοτα — — ουτε γαρ πατριαρχης, ουτε νομοθετης, ουτε προφητης της των εθνων εφροντισε σωτηριας. 1) Theodoret (l. c.) — και ευηνιον απεφηναν (οἱ αποστολοι) τον αδαμαστον πωλον, και επεκαθισαν αυτῳ τον δεσποτην και προσεδησαν αυτον τῃ αμπελῳ, τουτεστιν ἑαυτοις, εξ Ιουδαιων γαρ οἱ αποστολοι κ. τ. λ. — Hieronym. (Quæst. in Gen. ed. Par. 1699 Opp. II. p. 546): „in Hebræo ita habet: alligans ad vitem pullum suum et in Sorek, fili mi! asinam suam, quod videlicet pullum asinæ, cui supersedit Jesus, hoc est, gentilem populum, vineæ apostolorum, qui ex Judæis sunt, copulaverit, et ad Sorek id est electam vitem alligaverit asinam, cui supersedit, ecclesiam ex nationibus congregatam" etc. Cfr. Clem. Alex. Pædag. L. I. c. 5. Cyrill. Alex.

asinum de natura humana[1]**) exponunt, alii asinam et asellum omnes in universum Christianos**[2]**), qui**

---

in Joh. lib. VIII. c. 10. Augustin. de civitate Dei lib. 16, c. 41. Huetium in Demonstr. Ev. p. 349. 1) Theodoret. (Quæstt. in Gen. Opp. ed. Schulze T. I. p. 114—115): *οἱ δε θειοι αποςολοι προσταχθέντες μαθητευσαι πάντα τα εθνη και βαπτισαι εις το ονομα τȣ πατρος, και τȣ υἱου και τȣ ἁγιȣ πνευματος, ελυσαν μεν την ονον, τȣτεςι των ανθρωπων την φυσιν, την δεδεμενην ταις της ἁμαρτιας σειραις· ελυσαν δε και τον πωλον, τον εκ ταυτης βεβλαςηκοτα λαον, και επιθεντες αυτῳ τα ἱμάτια τα ἑαυτων, τȣτεςι την χαριν ἧς ετυχον· ὁσοι γαρ εις Χριςον εβαπτισθησαν, Χριςον ενεδυσαντο· κ. τ. λ.* 2) Cfr. Lutherum (Gründliche und Erbauliche Auslegung des 1sten Buches Mosis, in Opp. ed. Walch. T. II. p. 2913): „Ich verstehe ferner diese Worte also, daß zur Zeit Christi, oder, wenn der Messias oder Schiloh kommen wird, dis geschehen werde, daß der Eselin Sohn an den Weinstock solle gebunden werden; das ist aber nicht wahr, daß im Stamm Juda so überflüßig wiel Weinstöcke gewesen sind. Und wenn das schon also gewesen wäre, was hat der Esel mit dem Weinberg zu schaffen? Und er wird ja nicht darum an den Weinstock gebunden, daß er Trauben tragen soll, sondern daß er trincken soll, und soll voll Weins werden. Derohalben lassen sich die Worte ansehen, daß sie also lauten: daß der Esel mit Trauben und Wein, gleich als sonst mit anderm Futter, solle gefüttert und truncken gemacht werden. Der Esel soll einmahl gute Tage haben und Wein saufen. — Und ich halte daß dis der rechte Verstand sey: zur Zeit Messiä wird eine solche grosse Herrlichkeit, Reichthum und Fruchtbarkeit seyn, daß auch die Esel und Füllen der Eselin Trauben und Weinbeere fressen werden. Die Esel sollen etwas niedliches essen, sollen sich voll saufen. — l. c. p. 2916: Also verstehe ich diesen Text alhier, daß wir in Christo und zur Zeit Christi sollen truncken werden von den reichen Gütern seines Hauses, wie der 36 Ps. v. 9 saget, das ist, wir sollen den Heiligen Geist

Christo adhærentes donorum spiritualium participes fiant, notare volunt etc. Duo ultimo v. 11 membra: „lavat in vino vestem suam et in sanguine uvarum amictum suum, plerique de passionibus Christi interpretantur, vestem et amictum aut de ecclesia[1]), morte servatoris redemta et lustrata, aut de

---

empfangen aus dem Wort und Gehör, darvon wir andere Menschen werden; gleichwie sich ein trunckener Mensch viel anders hält, denn einer, der nüchtern und hungerig ist. — l. c. p. 2920: Diese Trunckenheit soll nun zur Zeit Messiä regieren; wenn ihm die Völcker anhangen und ihm gehorchen werden, so werden sie truncken und fröhlich werden, und den Teufel und Tod trotzen. —— Denn wir sind geistlich truncken, haben Vergebung der Sünden, Erlösung vom Tode und Hölle, und spotten des Teufels und Pabstes, der da greulicher wütet und tobet, denn Diocletianus und alle Tyrannen gethan haben. — l. c. p. 2922: Nun muß man aber das auch auslegen, warum er uns Esel und Eselinnen nennet. Hieronymus hat es nur ein wenig berühret und kürzlich gedacht, da er saget, daß nemlich Jesus Christus das Füllen der Eselin, darauf er gesessen, das ist, das Volck der Heyden, zu dem Weingarten der Apostel, so von den Jüden hergekommen sind, gethan, und an den edlen Reben, d. i. den auserwählten Weinstock, die Eselin gebunden, darauf er gesessen, nemlich, die Kirche aus allen Völckern versammlet. Diese Weise oder Ursach gefället mir nicht übel. Ein Esel ist ein einfältiges und dummes Thier, ist aber doch gleichwohl sehr köstlich, darum daß es Christum, der Welt Heyland, träget. Also sind wir auch der Esel, die Esel und das Füllen, darauf Christus durch die ganze Welt reitet". etc. 1) Cfr. Clem. Alex. Pædag. L. 1. c. 6. Origenes (hom. 17 in Gen. Opp. T. II. p. 109): „stola Christi, quæ lavatur in vino, merito ejus intelligitur ecclesia, quam ipse mundavit sibi sanguine suo, non habentem maculam aut rugam, non enim, inquit apostolus (I Pet. I, 18), argento vel auro redempti estis, sed

corpore Christi[1]), morti tradito, vinum aut de san-

---

pretioso sanguine unigeniti a Deo. In hujus enim sanguinis vino, id est, lavacro regenerationis, a Christo lavatur ecclesia... qui prius per lavacrum loti stola ejus fuerant effecti, posteaquam ad sacramentum sanguinis uvæ pervenerunt vel interioris mysterii secretiorisque facti sunt participes, amictus ejus esse dicuntur" etc. Justin. Mart. (Dialog. cum Jud. Tryph. c. 54. p. 149. ed. Hag. Com. 1742): *και το ὑπο Μωσεως δε ανιςορημενον, και ὑπο του πατριαρχου Ιακωβ προπεφητευμενον, το πλυνει εν οινῳ την ςολην αυτου κ. τ. λ. το τῳ αιματι αυτου αποπλυνειν μελλειν τους πιςευοντας αυτῳ εδηλου. ςολην γαρ αυτου εκαλεσε το ἁγιον πνευμα τους δι᾽ αυτου αφεσιν ἁμαρτιων λαβοντας· εν οἱς αει δυναμει μεν παρεςι, και εναργως δε παρεςαι εν τῃ δευτερᾳ αυτου παρουσιᾳ. το δε αἱμα της ςαφυλης ειπειν τον λογον, δια της τεχνης δεδηλωκεν, ὁτι αἱμα μεν εχει ὁ χριςος ουκ εξ ανθρωπου σπερματος, αλλ᾽ εκ της του Θεου δυναμεως· ὁν γαρ τροπον το της αμπελου αἱμα ουκ ανθρωπος εγεννησεν, αλλα Θεος, οὑτως και το του Χριςου αἱμα ουκ εξ ανθρωπειου γενους εσεσθαι, αλλ᾽ εκ Θεου δυναμεως προεμηνυσεν· ἡ δε προφητεια αὑτη, ω ανδρες, ἡν ελεγον, αποδεικνυει, ὁτι ουκ εςιν ὁ Χριςος ανθρωπος εξ ανθρωπων, κατα το κοινον των ανθρωπων γεννηθεις.* Idem in Apol. I. c. 32: *το πλυνων κ. τ. λ. προαγγελτικον ην του παθους οὑ πασχειν εμελλε, δι᾽ αἱματος καθαιρων τους πιςευοντας αυτω· ἡ γαρ κεκλημενη ὑπο του θειου πνευματος δια του προφητου ςολη, οἱ πιςευοντες αυτῳ εισιν ανθρωποι, εν οἱς οικει το παρα του Θεου σπερμα, ὁ λογος· το δε ειρημενον αἱμα της ςαφυλης, σημαντικον του εχειν μεν αἱμα τον φανησομενον, αλλ᾽ ουκ εξ ανθρωπειου σπερματος, αλλ᾽ εκ θειας δυναμεως.* Hippolyt. (Ep. de antichristo Opp. T. I. p. 8): *αἱματι ουν ςαφυλης, ποιας αλλ᾽ η της σαρκος αυτου ὡς βατρυος επι ξυλου βληθειοης; εξ ἡς πλευρας ἐβλυσαν δυο πηγαι, αἱματος και ὑδατος, δι᾽ ὡν τα εθνη απολουομενα καθαιρονται, ἁτινα ὡς περιβολειον λελογιςαι εχον.* Luther. (l. c. p. 2949): „er wird sein Kleid etc. das ist, die Kirche wird er waschen in diesem Leben, welche nach dem Fleisch noch immer besudelt und beflecket ist". etc.

1) Tertullianus (adv. Marcion L. IV. c. 20. Opp. p. 458):

guine ejus in cruce effuso, aut de vino in sacra-

„multo manifestius (quam Esaias) Genesis in benedictione Judæ, ex cujus tribu carnis census Christi processurus, jam tunc Christum in Juda delineabat. Lavabit, inquit, in vino stolam suam et in sanguine uvæ amictum suum; stolam et amictum carnem demonstrans, et vinum sanguinem. Ita et nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit". Epiphanius (adv. Hæres. L. I. hæres. 20. adv. Herodian.): *πȣ δε επλυνεν εν αἱματι την ϛολην αὑτȣ ὁ Ἡρωδης, η εν αἱματι της ϛαφυλης το περιβολειον αὑτȣ, ὡς ὁ Κυριος ἡμων Ιησȣς Χριϛος το σωμα αὑτȣ ῥαντισας αἱματι τῳ ιδιῳ και εν αἱματι ϛαφυλης το περιβολαιον αὑτȣ.* Novatianus (de trinitate c. 21. p. 305 in Gallandi biblioth. vet. Patr. T. III): „hoc enim in benedictionibus ante prædixit: lavabit stolam etc. Si stola in Christo caro est, et amictum ipsum corpus est, requiratur, quisquis est ille cujus corpus amictum est et stola caro. Nobis enim manifestum est, carnem stolam et corpus amictum Verbi fuisse, quique sanguine, id est vino, lavit substantiam corporis et materiam carnis abluens, ex parte suscepti hominis passione. Ex quo siquidem lavatur, homo est, quia amictum, quod lavatur, caro est; qui autem lavat, Verbum Dei est" etc. Theodoret. (Opp. ed. Schulze T. I. p. 115): *ειτα και το παθος προλεγει· πλυνει εν οινῳ κ. τ. λ. και το μεν σωμα αυτȣ ϛολην ονομαζει, το δε αἱμα οινον· επειδη και τον μυϛικον οινον αἱμα κεκληκεν ὁ δεσποτης. ακουομεν δε και του ευαγγελιϛȣ Ιωαννου διδασκοντος, ὡς του ϛρατιωτου νυξαντος αυτου την πλευραν ἐξηλθεν αἱμα και ὑδωρ· οὑτοι δε οἱ κρουνοι δια του σωματος κατερρυησαν.* Chrysostom. (hom. 67 in Gen. Opp. T. IV. p. 638): *ὁρα πως ἁπαν ἡμιν το μυϛηριον ενταυθα ηνιξατο. ισασιν οἱ μεμυημενοι το λεγομενον, πλυνει εν οινῳ την ϛολην αυτȣ, ϛολην, οιμαι, το σωμα λεγων, ὁ δια την οικονομιαν φορεσαι κατηξιωσεν· ειτα ἱνα μαθης ακριβως οινον τι προσηγορευσεν, επηγαγε, και εν αἱματι ϛαφυλης την περιβολην αυτȣ. ὁρα πως τῳ τȣ αἱματος ονοματι την σφαγην ἡμιν και τον ϛαυρον ηνιξατο, και πασαν των μυϛηριων την οικονομιαν.* Ephraem.

coena[1]), aut aliter accipientes. V. 12 denique multi de pulchritudine Messiæ spirituali, de justitia et

---

Syr. (Explanat. in Gen, Opp. T. I. p. 109): „dealbabit in vino vestimentum suum ɔ: corpus suum suo sanguine lavabit; et in sanguine uvæ operimentum suum ɔ: corpus illud, quo divinæ personæ majestas tegebatur. Cfr. Cyrill. Alex. Glaphyr. in Gen. (Opp. T. I. p. 224), Hieronym. Comment. in Es. L. XV. c. 55. Hippolyt. Ep. de antichristo (Opp. T. 1. p. 8.) etc. Phaletranus l. c. „lavabit in vino stolam etc. Cum plerisque veterum theologorum sacerdotale Messiæ officium, quod in redimenda ecclesia consistit, hac descriptione significari censeo. Quæ redemptio, ut 1 Pet. 1, 19 testatur, non auro, vel argento, sed pretioso sanguine Messiæ facta est. Ira enim divina vinum illud excandescentiæ Jer. 25, 15. Apoc. 14, 10, cujus calicem tam anxie deprecatur dominus noster Matth. 26, 49. quemque tandem, quia salus humana aliter constare non poterat, ex imo hausit fundo seque totum illo proluit. Tunc scil. quum in horrendo illo mortis agone universi mundi peccatis oppressus, totum corpus cruento distillaret sudore, tunc inquam, cum flagellis, spinis, clavis, lancea, tergum, caput, manus pedesque nec non sacrosanctum latus perfossus, veluti imbre diffluerct sanguineo. Quemadmodum autem fortissimus ille athleta Dei, sanctus Hiob, corporis creaturam textile indumentum animæ elegantissime appellat (Hiob. 10, 11), ita non minori elegantia humana natura dicitur τε λογε vestimentum et pallium. Plane sic etiam Paulus ad Ebr. 10, 20 carnem Christi καταπέτασμα τε λογε cfr. Joh. 1, 14. Sap. 9, 15. 2 Cor. 10, 1. 2 Petr. 1, 13" etc. cfr. Huetium l. c. [1]) Cyprianus (Epist. 63. Ad Cæcilium de sacramento dominici calicis. Opp. p. 105): „in benedictione Judæ hoc idem (calix domini) significatur . . . . lavabit in vino etc. quando autem sanguis uvæ dicitur, quid aliud quam vinum calicis dominici sanguinis osten-

sapientia ejus et **veritate religionis Christianæ**, alii de **utraque** ejus **natura**, alii aliter exponunt[1]).

---

ditur?" Cfr. **Tertullian.** in l. c. etc. 1) **Chrysostomus** (hom. 67 in Gen. Opp. T. IV. p. 638—639): *χαροποι οἱ οφθαλμοι κ. τ. λ. ενταυθα το φαιδρον ἡμιν ενδειξασθαι βȣλεται δια της μεταφορας τȣ οινȣ και των οφθαλμων. και λευκοι οἱ οδοντες αυτȣ κ. τ. λ. το δικαιον και το λαμπρον τȣ κριτȣ. δια γαρ των οδοντων και τȣ γαλακτος ȣδεν ἑτερον ἡμιν σημαινειν ηβȣληθη, η ὁτι ȣτως εςαι λευκον και περιφανες το κριτηριον, καθαπερ ἡ τȣ γαλακτος και των οδοντων ποιοτης.* Cfr. ejusd. expos. in Ps. 44 (Opp. T. V. p. 166). **Cyrillus Alex.** (Glaphyr. in Gen. Lib. VII. Opp. T. I. p. 224): *χαροποι οἱ οφθαλμοι αυτȣ απο οινȣ. νοηθειη γαρ αν εν τουτοις, καθαπερ εγω οιμαι, το οἱονει φιλομειδες, και το αει πως ευθυμον τε και ἱλαρον της θεοτητος αυτȣ. ἱλαρος γαρ πως αει τοις πεπωκοσιν ὁ νους, και των καταλυπειν ειωθοτων ὁτι μαλιςα καταφρονητης. επειδη δε εξ οδοντων ὡσπερ προεισιν ὁ λογος, λευκȣς ειναι και αυτȣς φησι, ὡς καθαρον τε και εκλευκον τον απο γλωττης ἱεντας λογον. ἁμαρτοεπης γαρ ουδαμως, ευθυρημων δε μαλλον και αληθης ὁ Χριςος και πανυ, ει τι φθεγξαιτο, τȣτο εςιν ἁγιοπρεπες και τεθαυμασμενον κ. τ. λ.* **Theodoret.** l. c. *ειτα δεικνυσι την απο τȣ παθȣς γενησομενην ευφροσυνην· χαροποιοι οἱ οφθαλμοι αυτȣ απο οινȣ· ευφροσυνη γαρ της οικȣμενης, το σωτηριον παθος — — το τοινυν χαροποιον των οφθαλμων την μετα το παθος ευφροσυνην δηλοι. μετα γαρ το παθος και την αναςασιν, εις πασαν απεςαλησαν την οικȣμενην οἱ μαθηται, την σωτηριαν προσφεροντες τοις πιςευουσι. της δε γε διδασκαλιας το διειδες, και το διαφανες, λευκοτατοις οδȣσιν απεικασεν· λευκοι γαρ φησιν οἱ οδοντες αυτȣ η γαλα.* **Hippolytus** l. c. *χαροποιοι οἱ οφθαλμοι κ. τ. λ. Χριςȣ τινες, αλλ' η οἱ μακαριοι προφεται; οἱ προιδοντες τῳ πνευματι και προκηρυξαντες τα εις αυτον συμβησομενα παθη, ὁν δυναμει εχαιρον βλεποντες πνευματικοις οφθαλμοις, ὑπ' αυτȣ τȣ λογȣ και της αυτου χαριτος καταρτιζομενοι. τῳ δε ειπειν, και λευκοι οἱ οδοντες αυτȣ η γαλα τας εξ ἁγιȣ ςοματος Χριςȣ εκπορευομενας εντολας εσημαινε, καθαιρȣσας ὡσει γαλα.* **Origenes**

Argumentis, quibus hæ et similes interpretationes sic dictæ nituntur, vix stultius quidquam, magis præpo-

---

(in Gen. hom. 17 Opp. T. II. p. 109—110): „gratifici sunt oculi isti, sermo enim scientiæ sale conditus est, ut det gratiam audientibus. Non ergo per hoc solum gratificus dicitur, quia scientiæ sermonem ministrat, sed quod habet in se, gratiam facit. His enim, inquit sapiens, auditis sapiens sapientior erit (Prov. I, 3). Gratifici ergo sunt oculi ejus a vino, quia nihil est aquatum in verbo scientiæ, nihil fluidum, nihil frigidum, sed vinum quod lætificat cor hominis, et quod infunditur vulneribus illius, qui incidit in latrones, quo scilicet audientium vulnera peccatorum non solum olei lenitate mitigentur, verum etiam austeritate purgentur. — — Dentes ejus super lac candidi erunt hi, qui fortem et solidum cibum verbi Dei mandere et comminuere ad summam subtilitatem dentibus possunt" etc. Ephraemus Syr. l. c. „splendidiores oculi ejus vino: quia clarior est veritas cogitationum ejus vino defoecato; et dentes ejus lacte candidiores, quia pulchra et pura labiorum ejus doctrina". Cfr. Hieronym. Comment. in Es. L. 15. c. 55. — Phaletranus l. c. „opinor — divinum nostrum, oculorum et dentium hieroglyphico ita geminam in persona Messiæ venerari naturam, ut simul ad resurrectionis respiciat gloriam. Plane ut nullum in fabrica humani corporis membrum est, quod divini nostri ortus originem et coelestis providentiæ perfectissimam παντοβλεψιαν propius referat atque oculi, ita nulla corporis pars est, quæ in nutritione et educatione hominis tam unice occupetur quam dentes. — Appositissime autem oculi nigri tribuuntur Messiæ, quod ille secundum utramque naturam formosissimus omnium. — Illi quoque dentes lacte candidiores ɔ: pulcherrimos tribuit Jacob, cfr. Cant. 6, 5. — Quemadmodum pallio cruentato passionis describit ignominiam, ita oculorum vigentissima claritate lacteoque dentium candore resurrectionis depingit gloriam. Oculi

sterum atque ridiculum dici aut fingi potest, quod ex multis earum speciminibus a nobis allatis satis superque

enim caligantes et deficientes ut mortis indicium, quæ et livore dentes corrumpere solet: ita nitida oculorum flagrantia candensque dentium pulchritudo vitæ et felicitatis signaculum" etc. Huetius l. c. p. 349. „quæ sequuntur de oculorum pulchritudine et candore dentium, valent ea ad Messiæ speciem ac decorem commendandum, non eum, qui in externa corporis forma, sed qui in animi dotibus ac virtute positus est. Quo pertinet illud e Ps. 45, 3, Es. 33, 17: regem in decore suo videbunt oculi ejus, Cant. 5, 10: dilectus meus candidus et rubicundus, quibus candidi mores, et, ut Virgilii utar verbis, ardens virtus denotantur, quorum symbola sunt lac et vinum. Rubor autem oculis maxime Messiæ tribuitur, perinde ut vis flammea in Apocalypsi (1, 14. 2, 18. 19, 12) et apud Danielem (10, 6), et Deo ipsi apud Ezech. (1, 27); nimirum ut perspicacitas ejus significetur et oculorum vis omnia pervadens, etiam intima cordis; quocirca Christus Jesus in Apoc. 2, 18. 23 postquam flammeos et ignitos sibi esse oculos dixit, subjicit continuo: novi opera tua, et deinde: ego sum scrutans renes et corda. Sic et Paulus Ebr. 4, 13. — Candor autem adscribitur dentibus, propter fandi vim lacteam, qua Christum valuisse ex his verbis Lucæ discimus 4, 22, cfr. Ps. 45, 3: diffusa est gratia in labiis tuis. Id sibi quoque volebat Matthæus (7, 29), et ministri Pontificum et Pharisæorum apud Johannem (7, 46)". Lutherus l. c. p. 2935: „.... derohalben will Jacob alhier anzeigen, daß zur Zeit Christi Er in allen den Seinen werde rothe Augen haben, und einem vollen und trunckenen Menschen gleich seyn: er wird sehen, wie ein toller und voller Mensch, nicht vor Gott, sondern vor der Welt, welche die, so Christum angehören, für Narren und unsinnig hält — also sind

patere concedent facile plerique, neque operæ pretium est illis refutandis immorari: sufficit exempla earum tantum protulisse. Qui autem plures allegoriarum nugas, quibus interpretum in locum nostrum scatent commentarii, cognoscere cupit, talium adeat explicationum catalogum, quem exhibuit anonymus autor libelli a nobis supra laudati: Prüfung des Tellerischen Erklärung über 1 Mos. 49. 10 etc. Nos vero, hisce similibusque missis suisque autoribus probandis relictis, ad ultimam disputationis nostræ partem, graviora quæ pro Messiana explicatione afferuntur argumenta diligenter examinaturi, pergamus.

---

wir Christen vor den Augen der Römischen Cardinäle nur eitel Klötzer und Stöcke, sind tolle, volle Leute" etc. l. c. p. 2953: „ein solch Amt ist das Predigtamt, wie davon die ganze Welt urtheilet, welches doch vor Gott ganz rein und schön ist; denn da findes nicht rothe Augen, sondern Engel-Augen. — Darnach sind die Zähne auch weisser denn Milch, denn sie sind voll Trostes, und wiewol sie beissen, halten sie doch den Leuten das vor, das sehr gut und lieblich ist" etc.

III.

Plerosque interpretes, antiquissimos non minus quam recentiores et novissimos, vocem שילה et quæ eam in benedictione Jacobi proxime sequuntur verba, etsi de propria eorum significatione quam maxime dissentirent, ad Messiam, quem orbi universo tranquillitatem, pacem, omnem felicitatem conciliaturum esse sperarunt Hebræi, prædictum raro consensu retulisse, jam observavimus, simul ex frequentia explicationum, quæ a nobis in medium prolatæ sunt, manifestum est. Quæ sententia quum antiquitatis ac consensus maxima gaudeat autoritate, argumenta, quibus nititur, diligenter perscrutemur et examinemus necesse est, ne in ea rejicienda temere egisse videamur. In hac vero disceptatione absurdis illis et miseris, quæ pro ista opinione undique congesserunt mystici er allegoristæ, lubenter supersedemus, quippe quæ omni refutatione prorsus indigna sunt. Hic eorum solum ratio habenda est, quæ speciem saltem veritatis præ se ferunt, et quum nostris temporibus imprimis doctissimus ille vir E. W. Hengstenberg[1]) interpretationis de Messia a patriarcha Jacobo diserte prædicto studiosissimus exstiterit patronus et gravioribus pro ea argumentis novam conatus sit vim et autoritatem parare, eum potissimum in illa refutanda spectabimus.

1) Observant primum, promissiones illas solennes,

1) In libro: Christologie des Alten Testaments etc. P. I. p. 59—77.

quæ Abrahamo et Isaaco a Jehova sæpius factæ et in Jacobum translatæ dicuntur, duas indicasse res, numerosam scilicet prolem, quæ terram Palæstinam aliquando possessura esset, cfr. Gen. 12, 2. 13, 14—17. 15, 5. 18. 17, 4—8. 18, 18. 22, 17. 24, 7. 26, 3—4. 24. 28, 3—4. 13—14. 35, 11—12. 48, 3—4. 21—22. 50, 24, et benedictionem per posteros Abrahami omnes orbis terrarum populos fortunaturam, quum adveniente Messia ad veram dei cognitionem et cultum spiritualem adducendi fuerint, quem sensum inesse volunt interpretes 1) formulæ: נברכו בך כל משפחת האדמה Gen. 12, 3, quæ paucis mutatis præter hunc locum quater in Genesi occurrit, sc. 18, 18: נברכו־בו כל גויי הארץ, 22, 18 et 26, 4: התברכו בזרעך כל גויי הארץ et 28, 14: נברכו בך כל־משפחת האדמה ובזרעך, quomodo etiam in N. T. Act. 3, 25. 26. Rom. 4, 13. 16 Gal. 3, 8. 16 a Petro et Paulo saluti per Christum paratæ applicata est. Jam vero, dicunt, probabile non est, Jacobum, hasce promissiones filiis ultimo vitæ momento solenniter deferentem, priorem earum partem solummodo commemorasse, dum terram Palæstinam a posteris occupatam et inter 12 tribus jam divisam animo prævideril, posteriorem vero longe graviorem, felicitatem mundi sub imperio Messiæ, omnino neglexisse. Statuendum igitur esse contendunt, patriarcham moribundum in oratione ultima filiorum omnium eum designasse, ex cujus stirpe felicitatis autor Messias aliquando esset proditurus 2) — Totam vero hanc argumentationem sententiis niti, quæ probari vix possunt, non opus est ut multis ostendamus. Ponitur enim ut certum, carmen illud, quod

---

1) Cfr. Hengstenberg. lib. cit. P. I. p. 53—58. 2) Ibidem p. 62.

exhibet cap. XLIX Genesos, a Jacobo patriarcha compositum esse et sic diserta de rebus futuris continere vaticinia, quæ multis post seculis eventu comprobari deberent. Hæc vero sententia quum ob difficultates, quibus premitur, ineluctabiles admitti non poterit (cfr. Prolegomena), frustra ad eam provocant. Quæ porro in subsidium afferuntur cetera argumenta etiam nihil probant; quod enim attinet ad promissiones illas divinas, quæ hic citantur, formula supra laudata a plerisque passive quidem redditur: prosperabuntur omnes terræ gentes per te s. per posteros tuos, sed primum minime certa est hæcce explicatio; apparet enim, נברכו in Gen. 12, 3. 18, 18 et 28, 14 non aliter ac התברכו in 22, 18 et 26, 4 accipi posse; verum Hithpael התברך in aliis locis non passivo, sed reflexivo sensu occurrit, ex. gr. Deutr. 29. 18 התברך בלבבו: benedicat sibi ɔ: felicitatem sibi promittat, cfr. Es. 65, 16: המתברך בארץ יתברך באלהי אמן ɔ: benedicens sibi in terra, sibi benedicet per deum verum ɔ: deum invocando sibi felicitatem adprecabitur. Rectius igitur Clericus, præviis R. Salomon Jarchio aliisque Judæorum doctoribus, formulam illam in Genesi obviam sic interpretatus videtur: „hoc nomine exemplove prolato benedictiones apud plurimos Orientis populos concipientur his aut similibus verbis: benedicat tibi deus, ut benedixit Abrahamo," sive, ut vult Gesenius: „bene precabuntur sibi per posteros tuos omnes gentes terræ i. e. sibi Israelis sortem adprecabuntur, (cfr. Ps. 72, 17: ויתברכו בו כל־גוים יאשרוהו: benedicent sibi per illum [regem in hoc carmine celebratum] omnes populi eumque felicem prædica-

bunt[1]). Alii aliter[2]). Deinde, quacunque ratione נברכו et והתברכו in formula illa Geneseos acceperis, sive passive, sive reflexive, universalia tantum indicantur; qualis futura sit felicitas promissa accuratius non dicitur, et nonnisi coacte de Messia prædicto cogitare jubent interpretes. Præterea, postulatis etiam concessis, non intelligimus, cur Jacobus filiis benedicendo eum designaret, a quo descensurus esset Messias. Nam, utcunque tandem sit, alia omnino res est, deum, ubi patriarchis sese revelans et verba ad eos faciens introducitur, remotissimum felicitatis universalis tempus obscure prædixisse (et in locis citatis ipsius dei verba sunt); inde minime sequitur, Jacobum in ultima oratione ad filios habita adventum Messiæ perspicue aut debuisse aut potuisse vaticinari, ita ut nexus ille, quem locum nostrum inter et promissa illa patriarchis data esse contendunt, re vera non exsistat,

---

1) Cfr. Rosenmüller. ad hl. „beatos se prædicabunt in eo i. e. exemplo erit et formula quasi faustæ precationis apud omnes populos; quoties volent sibi vel aliis bene precari, sument illud nomen: beneficus sit tibi Deus et liberalis, quemadmodum se erga regem illum præstitit. Quod clarius explicat, dum subdit: כל־גוים יאשרהו omnes populi felicem prædicabunt eum." Cfr. Gen. 48. 20. Vid. Gesenii Lex. Man. 1833 p. 177—178. Rosenmüller. ad Gen. 12. 3. Jahn. Archæol. II. §. 263 not. 2) Cfr. Ammon. Christologie p. 22. Bertholdt de ortu theologiæ vet. Hebr. p. 102: „Abrahamo, Isaaco et Jacobo facta erat a deo spes, fore ut reliquæ gentes terræ Canaanis — משפחות גויי הארץ־האדמה — posterorum suorum potestati se subjicerent atque sic honores et beneficia populis foedere cum aliis junctis ex vulgari consuetudine concessa in se conferrent." Similiter Baumgarten-Crusius: Bibl. Theol. p. 368.

quo tandem accedit, quod formulæ isti promissionum supra commemoratæ nulla est similitudo cum nostro loco. Posito denique, Jacobum in benedictione sua solenni Messiam prædicere debuisse, quomodo factum est, ut Isaacus, cui ipse Jehova idem, quod Abrahamo, promisisse dicitur Gen. 26, 4, quum Jacobo filio magnificis benediceret verbis, nullam hujus promissionis mentionem fecerit, cfr. Gen. 27, 28 sqq. nisi verba hic obvia: יעבדוך עמים וישתחוו לך לאמים ɔ: tibi serviant nationes, te colant populi, in hunc sensum torquere volueris[1])? Nihil igitur ista argumentatione effici apertum est, quum meris nitatur hypothesibus, ex præconceptis opinionibus profectis, quibus nihilotamenminus Hengstenberg fretus contendere non dubitavit, vaticinium de adventu Messiæ in benedictione Jacobi a priori jam exspectandum esse et Messianam loci nostri explicationem argumentis istis perquam probabilem esse[2]).

2) Provocant deinde ad eximium exegeticæ traditionis consensum, qui ratione habita ad hanc interpretationem exstitisse immodice jactatur. Antiquissimus testis primum producitur Ezechiel propheta, qui in libro suo c. 21, 32 nostrum locum ante oculos habuisse ac de Messia שילה explicasse contenditur (vid. p. 86 et 91). Sequuntur tres Chaldæorum Paraphrastæ, Onkelos, Pseudojonathan, interpres Hierosolymitanus, qui phrasin controversam et v. 11—12 de adventu Messiæ aperte accipiunt (cfr. p. 84. 94. 130—131); porro Talmud, Sohar, Bereschith Rabba, Tanchuma, Medrasch Tehillim, R. Salomon

1) Cfr. quæ a v. Bohlen ad benedictionem Isaaci observata sunt in libro citato pag. 258 sqq. et p. 273—280. 2) Cfr. lib. cit. p. 62.

Jarchi, Moses Bar Nachman, Kimchi, Bechai, Elias Misrachi etc. in universum omnes Rabbinorum antiquiores, immo recentiorum haud pauci, ut Abarbanel, Sal. Ben Melech, Joel Ben Sueb, Nathan Grodnensis, Manasse Ben Israel etc. qui omnes locum nostrum inter vaticinia Messiana unanimi referunt consensu[1]). Samaritanos etiam antiquissimo tempore שילה de Messia interpretatos esse, et longe seriori demum ætate de Salomone explicasse, non dubitat Hengstenberg, provocans ad epistolam quandam Samaritanorum, anno 1676 Israelitis Angliæ scriptam et a C. F. Schnurrer an. 1781 primum editam[2]), in qua quidem inter plures locos in Pentateucho obvios, qui Samaritanis ut Messiani probati sunt, etiam Gen. 49, 10 citatur[3]).—Afferuntur deinde LXX et Theodo-

1) Cfr. Raym. Martini pug. fid. ed. Carpzov. Jac. Altingii Schiloh etc. Franck. 1660. Schöttgenii hor. Hebr. II. p. 146, et præcipue Seb. Edzardi Jac. patriarch. de Schiloh vatic. a depravatione Clerici assertum. Londin. 1698. p. 103 sqq. ubi copiosum interpretum Judæorum catalogum, qui Gen. 49, 10 de Messia exponunt, exhibet autor. 2) In Repert. für Bibl. und Morgenl. Litteratur. P. IX p. 22 sqq. — 3) Locum, quem respicit Hengstenberg, ex ed. Schnurrer. in lib. cit. p. 27 hic apponimus, وذكرتم عن قيام הנביא הגדול الذى قال الله عنه الى משה: נביא אקים להם מקרב אחיהם כמוך: هو هذا النبى بشر به ابونا ابرهيم وهو قوله והנה תנור עשן ולפיד אש: وهو الذى לו יקהתו עמים: ɔ: „mentionem fecistis adventus magni illius prophetæ, de quo locutus est deus ad Mosen: prophetam excitabo illis e medio fratrum ipsorum tibi similem. Hic ille est propheta, qui patri Abrahamo promissus est, ubi dicitur: ecce fornax fumi et flamma ignis (Gen. 15, 17). Ille est cui adhærebunt populi (Gen. 49, 10).“ etc.

tion, Aquila et Symmachus, quos in versionibus suis: ἕως ἐὰν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ et ἕως ἐὰν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται putant omnes antiquiores interpretes et multi recentiorum Messiam indicasse, cui destinatum esset imperium, quod idem de Vulgata, verss. Syriaca, Arabica, Coptica etc. valere perhibetur.— In ecclesia denique Christiana omnes fere patres et interpretes a primis temporibus ad nostros usque dies Gen. 49. 10 inter gravissima vaticinia Messiana retulisse constat, quum e contrario pauci tantum, præeunte Clerico, ut Eichhornius[1]), Heinrichs[2]), Friedrich[3]), Schumann[4]), v. Bohlen[5]), a pervulgata explicatione recedere ausi sint. Ex summa igitur illa interpretum consensione concludere vult Hengstenberg et qui a partibus ejus stant, Messianam omnibus ceteris explicationibus, si vel argumentis æque solidis confirmatæ essent, longe præferendam esse[6]).—Nimis vero audacter ita ratiocinando egisse doctissimos viros, majoremque isti consensui, qui dicitur, attribui autoritatem, quam par sit, accuratior ejus examinatio ostendet. Quid enim sibi vult illa testium nubes, quæ tanta cum ostentatione secus

---

1) Cfr. ejus Allgemeine Bibliothek der bibl. Lit. P. III, p. 166. 2) De autore atque ætate cap. Gen. XLIX com. 3) der Segen Jacobs, eine Weissagung des Proph. Nathan. 4) Genesis, hebr. et gr. etc. 1829. 5) Die Genesis historisch-kritisch erläutert. 6) Cfr. lib. cit. p. 64: „aus dieser seltenen Uebereinstimmung gewinnen wir für die Erklärung den Grundsatz, daß die Beziehung auf den Messias nur dann verworfen werden darf, wenn sie durch andere sichere Gründe als unzulässig erwiesen wird, daß sie hingegen, falls dies nicht der Fall ist, vor allen anderen Erklärungen den Vorzug verdient, auch wenn dieselben sich ausserdem als eben so begründet darstellen sollten" (!)

sentientibus objicitur? Veritas hujus vel illius interpretationis neque antiquitate neque autorum numero, qui eam admiserunt, neque in universum solis argumentis externis probatur; ante omnia in vim verborum grammaticam, eorum nexum totumque contextum accuratissime inquiratur necesse est. Si nostro loco nec singula verba, nec contextus interpretationi Messianæ favent, si nonnisi gravissimis obstantibus difficultatibus admitti potest, frustra ad antiquitatem ejus frequentiamque nominum, quæ eam defendunt, provocatur. Hæc in universum. Videamus deinde, quomodo sese habeat iste exegeticæ traditionis consensus, quem laudat Hengstenberg. Quod ad Ezechielem attinet, non negabimus, eum in Messia promittendo ad locum nostrum respexisse, licet minime probari possit et semper dubium maneat, sed inde modo hoc consequitur, prophetam suis temporibus, quibus infelix reipublicæ conditio omnium animos et desiderium in Messiam venturum direxisset, carmen nostrum applicuisse, quod eo facilius fieri potuit, quo post plurium seculorum decursum poetæ consilium et singulæ περιϛασεις, quas ille respexerat, in oblivionem omnino abierant. Applicatio vero non est explicatio. Chaldæorum deinde interpretes, qui in paraphrasibus suis sæpissime a textu Hebræo longe discedunt eumque intempestivis depravant allegoriis, etiam hl. nullis rationibus additis, præconceptam solum, quæ longe seriori tempore obtinuerat, opinionem exprimunt, et sic in censum venire non possunt. Porro arbitrarie a multis contenditur, LXX, Aquilam, Symmachum et Theodotionem hl. de Messia cogitasse, saltem hoc incertum est: τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ et ᾧ ἀπόκειται æque bene Salomonem, cui sceptrum destinatum esset, indicare pos-

sunt[1]). Nec ceteræ versiones, quæ LXX sequuntur, melius certiusve exhibent argumentum. Jam vero quod de Samaritanis suspicatur Hengstenberg, mera est hypothesis. Locus enim ille in Samaritanorum quadam epistola longe serioris temporis opinionem exhibet. Uti jam antea a nobis observatum est, in versione quadam Samaritano-Arabica Pentateuchi nostrum שילה redditur سليمان Salomon[2]), simul ex epistola quadam, a Samaritanis Sichemi degentibus ad Job. Ludolphum an. 1691 scripta[3]), apparet, eos locum nostrum de Salomone explicasse. Quænam vero fuerit antiquior eorum interpretatio, nullo modo definiri potest, et arbitrarie omnino concludit Hengstenberg Messianam illam ante alteram de Salomone probatam Samaritanis fuisse, cujus rei nullum potest argumentum afferre. Neque felicior nobis videtur alia conjectura ejus, nomen illud Messiæ השחב vel התהב Samarita-

---

1) Cfr. v. Bohlen l. c. p. 466. 2) Cfr. dissert. nostr. p. 53. Silv. de Sacy: comment. de versione Samaritano-Arab. libbr. Mosis, in Eichhornii Allgemeine Bibliothek der bibl. Lit. P. X p. 54. 3) Cfr. Repert. für Bibl. und Morgenl. Lit. P. XIII p. 281 et 289 f. Verba sunt: ואתה תשאל על המשיח אך הו קם והו אשר אמר עליו בהתורה עד כי יבוא שלה ולו יקהתו עמים זה הו סלימאן: אשר בא בימים דבאו: והמשיח מה קם עד היום הזה: כי אם יקום ויהי שמו התהב והנסתרות ליהוה אלהינו והנגלאות לנו ולבנינו: ס: tu quæris de Messia, num ortus fuerit. Iste de quo dictum est in lege: usque dum veniet Schilo illique populi adhærebunt, iste est Salomon, qui advenit diebus elapsis. Messias vero nondum ortus est ad hunc diem. Si orietur, nomen ejus erit Hatheb. Sed occulta sunt apud Jehovam Deum nostrum, et revelata apud nos liberosque nostros. (Deutr. 29, 28).

nis[1]) usitatum, quod explicat **restitutorem**, nil aliud esse quam explicationem vocis שִׁילֹה **tranquillatoris**,

---

1) Rectius sine dubio explicat cel. Gesenius (vid. Carmina Samarit. p. 75 sqq.) „illud Messiæ nomen arcanum, ipsis Samaritanis hodiernis, ut videtur, non perspectum et variis iisque tamen infelicissimis recentiorum philologorum conjecturis tentatum." „Mihi, ait, non dubium est, literas ࠄࠔࠄࠁ et ࠄࠕࠄࠁ legendas esse הַשָּׁהֵב et הַתָּהֵב et **conversorem** notare, prophetam videlicet, homines ad meliorem frugem revocaturum, secundum illud *μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν* (Matth. III, 2). Conversis enim tantummodo et emendatis hominibus coeleste regnum destinatum erat. Forma ࠕࠄࠁ alibi etiam ut participium radicis תוב occurrit (v. Castellum h. v.) pro תָּאֵב, et **poenitentem** significat;" cfr Carm. III, v. 22 ࠕࠀࠁࠉࠍ · ࠕࠕ · ࠁࠏࠉ : ࠕࠕࠍ · ࠋࠅࠍ · ࠏࠋࠌࠄ ∴ **poenitentibus des, obsecro, des iis mundum,** quibus mox additur: ࠕࠄࠁ · ࠏࠋࠉࠍࠍ : ࠅࠎࠋࠇ · ࠁࠓࠇࠌࠉࠊ · ࠃࠀࠕ · ࠉࠊࠋ ∴ **conversor** ɔ: **Messias nobis** [instat] **et condonabis secundum misericordiam tuam, tu enim potes.** „Neque tamen justo est audacius eidem voci transitivam etiam significationem tribuere, cum ipsum verbum hac **reducendi** significatione sæpe usurpetur (vide שׁוּב pro הֵשִׁיב Num. X, 36. Nah. II, 3. Ps. LXXXV, 5). Cur vero promiscue השהב et התהב dici potuerit, nemo dubitabit, cum radicum שׁוּב, תּוּב, ܬܘܒ synonymia in vulgus nota sit. Apparet igitur ex hoc ipso nomine, **Samaritanos** antiquiores (putat enim Gesenius pertinere illud ad antiquam eorum Christologiam), quos alibi etiam purioris doctrinæ studiosos invenimus, cum optimis et sapientissimis quibusque inter **Judæos** (Luc. I, 73. 74. II, 32. Matth. III, 11—12. **De Wette** bibl. Dogm. ed. 2. § 140. 201. **Bertholdti** Christologia p. 162 sqq.) Messiam exspectasse morum emendatorem, melioris vitæ autorem et parentem, minime regem potentem ferreo sceptro populos subacturum." Cfr. Joh. 5, 25. 42. **Hengsten-**

qui pacem omnibus populis esset restituturus. Antiquissimorum igitur interpretum consensus, ad quem provocatur, valde dubius est, quo accedit, quod nec Christus, neque apostoli loco nostro inter vaticinia Messiana usi sunt, quod sane non neglexissent, si vulgo recepta fuisset eorum tempore hæc interpretatio. Non multum nos movet, quod Christus in Apoc. 5, 5 ὁ λέων ὁ ἐκ τῆς φυλῆς Ἰούδα leo ex tribu Judæ appellatur, quod nomen poeticum nostrum locum expresse respiciat non necesse est, neque Huetius[1]) aliquid efficit observando: „quod neque Christo neque Apostolis neque Scriptoribus sacris propositum unquam fuerit prophetarum oracula sigillatim recensere, cum Test. V. ad unum Christum spectare in eoque finem ac πλήρωμα nactum esse scirent; totum igitur Test. V. sibi recitandum putassent, si prophetiis pugnare voluissent. At pauculis his verbis rem totam Christus concludebat: habent Mosen et prophetas, audiant illos (Luc. 16, 29), rursum: scrutamini scripturas etc. (Joh. 5, 39), et paulo post: nolite putare me vos accusaturum apud patrem, est, qui accuset vos, Moses etc.

berg negat השׁהב s. התהב ut participium verbi שׁוב s. חוב posse conversorem notare, cum verbum שׁוב, ubi transitivo sensu occurrit, non convertere significet, sed restituere (cfr. Es. 52, 8. Nah. 2, 3), unde explicat: restitutor. Verum nonne is, qui convertitur a peccatis, etiam restituitur, quum in meliorem viam, a qua discesserit, reductus fuerit? Restitutor igitur optime explicari potest: conversor. Sic sententia Gesenii nullo modo ista observatione infringitur. שׁלה vero idem esse ac השׁהב, arbitraria nobis videtur hypothesis, quam etiam non potuit Hengstenberg argumentis probare.

1) Demonstr. Evangel. etc. p. 356.

(Joh. 5, 45—46)." Certe mirandum est, locum nostrum, qui, si tempore Christi Messianus vulgo habitus esset, sacris scriptoribus maximi momenti esse deberet, silentio in N. T. prætermissum esse. Seriorum denique Judæorum interpretationes arbitrariæ omnibusque rationibus destitutæ vel simplicissimas hermeneuticæ regulas ita violant, ut mirum sit, ad autoritatem eorum potuisse provocari. Quod non minus de patribus Græcorum et Latinorum valet, qui aut oculis clausis explicationes illorum recipiunt, aut non melius eas defendunt. Similiter recentiores interpretes, qui sententiam semel receptam propugnant, non potuerunt, quin ad vanas hypotheses confugerent, ut nostrum locum inter Messiana vaticinia tuerentur.—Ex disputatis itaque satis apparere confidimus, qualis sit ille traditionis exegeticæ consensus, qui nec per se aliquid probat, ubi certa desunt argumenta, nec nisi ex parte exstat.

3) Ad postremum, et hoc gravissimum est argumentum, totum contextum contendunt lectores quasi cogere, ut de Messia hl. prædicto cogitent. וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים urgentes in solum Messiam cadere dicunt, quippe qui omnes gentes imperio suo esset subjecturus, jubentque ad omnes illos locos respicere, in quibus tempora Messiæ futurâ gentilium obedientiâ illustranda describuntur, ex. gr. Es. 2, 2—5. 56, 6—7. Zach. 14, 9. 16. Mich. 4, 1—2. Am. 9, 12. Jer. 3, 17. Tob. 13, 19. 14, 14. Luc. 2, 32 cfr. Es. 42, 6. 49, 6. Act. 15, 16—17 etc. שִׁילֹה notione pacificatoris s. tranquillatoris (cfr. p. 49) nomen habent Messiæ proprium, „non quidem mere positivum seu voluntariæ impositionis, sed peculiare epitheton honorarium," ut ait Pfeiffer (l. c.), putantque hoc nomine non facile alium

quam **Messiam**, autorem felicissimæ pacis conditionis, pacificatorem κατ᾽ἐξοχήν, posse appellari, qualem futurum esse regem magnum sibi sperabant **Hebræi**; nomina enim **pacis** et **tranquillitatis** sensu latiori omnem omnino **felicitatem** et **prosperitatem** indicare observatur, cfr. שַׁלְוָה ex. gr. Ps. 122, 6, ita ut **pacificator** idem esset ac **sospitator** (ut Castellio שִׁילֹה reddidit) s. **felicitator** (Vers. Tigur. in marg.); hinc factum esse, ut Mich. 5, 4 Messias **pax** appellatus sit: וְהָיָה זֶה שָׁלוֹם: **hic erit pax**, et Es. 9, 5: שַׂר־שָׁלוֹם **princeps pacis**, quem titulum putat **Hengstenberg** ei datum esse a propheta respectu habito ad שִׁילֹה. Quum denique **tempus Messianum** tanquam aureum seculum, regnum pacis et innocentiæ, copia omnium bonorum abundans, sæpissime describatur, cfr. Es. 11, 6 sqq. 60, 17 sqq. Ez. 34, 25 sqq. Jer. 23, 6. Zach. 9, 10. Am. 9, 13. Ps. 72. (qui a multis Messianus habetur) etc., etiam locum nostrum, præsertim ob similes felicitatis et abundantiæ imagines in v. 11—12, jubent de illo tempore explicare, in quod solum quadrare posse eum opinantur.—Sed tantum abest, ut ex singulis verbis totoque contextu necessarie prodeat vaticinium illud Messianum, quod propugnant, ut loco nostro potius obtrudi videatur. Primum enim quod attinet ad vocem illam arcanam τυ שִׁילֹה, solum **Messiam** innuere arbitrarie omnino perhibetur, quum ἁπαξλεγόμενον hocce in nullo alio totius codicis sacri loco de servatore generis humani occurrat, et quamcunque potestatem ejus constitueris, sive **nomen** habueris „**honorarium**," sive **eum, cui sceptrum destinatum sit**, sive **eximiam Judæ prolem**, sive aliter exposueris, nil vetat, quominus illud de præclaro aliquo ex stirpe Judæ oriundo rege, ex. gr. de **Salomone**, interpreteris, cfr. p.

53 sqq., ubi hanc hypothesin defendere conati sumus. Obedientiâ deinde populorum, quæ τῳ שילה promittitur, qua ratione probari potest Messiæ tantum indicari universale imperium? Vaticinia illa, ad tale quid spectantia, quæ hic conferri solent, longe alius sunt indolis, clara et distincta, et quoad singula verba et quoad contextum. Pauca vero hæc, quæ in loco nostro obscuro occurrunt: ולו יקהת עמים, per se spectata, de rege illo Judæorum, qui imperium in gentes vicinas a patre acceptum servaturus esset, bene explicari possunt, cfr. horum verborum interpretationem a nobis p. 60—62 propositam. Num denique poetica, quæ in nostro carmine occurrit, pacis ac fertilitatis descriptio in solum Messiæ regnum quadrare potest? Hisce similibusque imaginibus, quales in vss. 11—12 exstant, sæpius in V. T. utuntur poetice autores ad quamcunque felicem conditionem populi celebrandam, cfr. 1 Reg. 5, 5, ubi modo haud dispari tranquillitas civitatis simul et abundantia et ubertas soli regnante Salomone (vid. p. 79) egregie describitur, cfr. Job. 20, 17. Num. 13, 27. Deutr. 33, 24. 28 (qui loci p. 75—76 citati sunt), in quibus regnum depingi Messianum nemo facile putabit. Quomodo pulcherrimæ illæ imagines, quas hl. adhibuit poeta, in nostram hypothesin cadere nobis videantur, p. 73 sqq. ostendimus. Similitudo igitur, quæ inter locos, quos afferunt, Messianos et nostrum intercedit, nullum exhibet argumentum pro sensu illo, quem verbis agitatis vindicare student interpretes, simul facile est intellectu, Judæos, quibus felicissima sane fuerit Salomone regnante periodus, tot tantisque plurium seculorum calamitatibus vexatos, tempus Messiæ, in quo jam solam salutis spem collocarent, coloribus de splendida illa reipublicæ sub imperio regis sapientissimi conditione petitis sibi depinxisse.

Ex hisce omnibus, quamvis breviter tantum tractatis, manifestum esse putamus, quam levia atque incerta sint illorum argumenta, qui antiquam loci nostri de adventu Messiæ interpretationem defendere conati sunt. Jam vero accedunt gravissimæ difficultates, in quas, ista admissa, non possunt, quin incurrant interpretes illi, quasque removere frustra moliuntur. Quæ quidem paucis hic attingendæ sunt.

1) Exspectatio de Messia, salutis autore, Judæorum totiusque generis humani liberatore, ex stirpe Judæ aliquando prodituro, ante regnum Davidis et Salomonis neque exorta est, nec potuit oriri, sed seriori demum tempore sensim sensimque exculta est, quod hic accuratius probare nihil attinet. Jam vero, si ita est, aut ad inspirationem sensu strictissimo et revelationem supernaturalem refugiendum est, ut credibile esse ostendatur, patriarcham Jacobum, si ad eum carmen nostrum referre placuerit, vel autorem Davidico florentem tempore, ut nos arbitramur, de Messia verbis tam distinctis ac perspicuis vaticinari potuisse, cujus rei necessitas ac scopus minime demonstrari possunt, aut libere fatendum, Messianam interpretationem cum antiquitate hujus carminis omnino non posse conjungi[1]).

---

[1]) Cfr. observationem Bohlenii l. c. p. 466: „überhaupt kann auch die ganze Genesis noch keine Messiasidee verlautbaren, denn da sie in die Urzeit sich zurückversetzt, so sind noch alle ihre Hoffnungen, die man uneigentlich messianische genannt hat, einzig und allein auf den Besitz von Kanaan gerichtet, und es ist eben ihr Zweck, die Erfüllung dieser Hoffnungen nachweisen zu wollen.“

2) Deinde observandum est, in nostro loco ne quidem de omnibus Israelitis et universali civitatis conditione sermonem esse, quod semper fit in omnibus illis locis, inb uibus aut seculum aureum in universum depingitur aut ipsa persona Messiæ accuratius describitur. Hìc sola tribus Judæ laudibus tollitur et quidem respectu habito ad regiam dignitatem, qua inter reliquas eminebat tribus et maximo honore atque veneratione digna videbatur, cfr. interpretationem nostram versuum 8—10. Quæ in verss. 11—12 sequitur abundantiæ et fertilitatis pictura, pertinet ea etiam ad felicem tribus Judæ sortem præ ceteris celebrandam, ita ut solitus vaticiniorum Messianorum character, quo semper totius Israeliticæ reipublicæ status futurus spectatur, hìc desideretur.

3) Denique, quod gravissimum est, interpretibus, quibuscum nobis res est, nunquam continget, ut dilucide probare valeant, vaticinium Messianum, quod ll. admittunt, missione Jesu Christi eventum habuisse. Docente enim historia, primum mortuo Salomone divisaque republica omnium tribuum principatum amisit Juda, et non amplius „a fratibus celebratus est et adoratus," Hierosolymis dein a Nebucadnezare expugnatis, „sceptrum regium a Juda omnino recessit" et nunquam postea huic tribui redditum est. Quod si, salva veritate, negari non poterit, aut Messiana loci nostri interpretatio repudietur necesse est, aut largiendum, fidem atque eventum prophetiæ de Messia, quam autori hujus carminis adsignant, non constitisse. Tertium non datur. Qui vero neutrum concedere volunt, frustra, omni subtilitate adhibita, violata sana hermeneutica, hypothesibus, quæ omni ratione destitutæ sunt, in auxi-

lium vocatis, singula verba eorumque nexum, ut prophetiæ tueantur veritatem, misere torquent verumque sensum pervertunt[1]); frustra ad allegorias ineptas et comparationes parum accommodatas[2]) confugiunt. — Sed hic finis erit. Lectoribus, qui præconceptis non indulgent opinionibus, persuasisse nos speramus, cum ceteris omnis disputatio inutilis erit atque vana.

---

1) Exempla talium interpretationum vide p. 112 sqq. 2) Cfr. ex. gr. Calvinum ad hl. „Si quis excipiat aliter sonare verba Jacobi, solutio in promtu est, quidquid unquam deus de externo ecclesiæ statu promisit, ita fuisse restringendum, ut judicia sua interim exerceret puniendis hominum peccatis fidemque suorum probaret „et Hengstenberg l. c. p. 73." hier muss vor Allem erinnert werden, dass die Weissagung nur einen bleibenden Verlust der nationalen Selbstständigkeit vor der Erscheinung des Messias ausschliesst — — — Einzelne Zwischenraüme des Verlustes der nationalen Selbstständigkeit, wie während des babylonischen Exils — — — können daher die Wahrheit dieser Verkündung ebenso wenig aufheben, wie Christi der Kirche des N. B. gegebene Verheissung durch die im Vergehen begriffene Periode des Unglaubens und Abfalls zu Schanden geworden ist. Nehmen wir diese Bemerkung zu Hülfe, so giebt die Geschichte die auffallendste Bestätigung dieses Theiles der Weissagung" (!) etc.